3.

I. G. I.

SCHEDIASMA DE VERITATE HISTORICA

ORATIONI AVSPICALI PRAEMISSVM.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

NOn male Franciſcus Baconus Baro Verulamius (*) doctrinam humanam in philoſophiam et hiſtoriam diuidit, quarum alteram ad rationem, alteram ad memoriam refert, priorem in notionibus uniuerſalibus ex animaduerſa plurium rerum inter ſe comparatarum ſimilitudine ortis, poſteriorem in ipſa rerum ſingularium conſideratione uerſari, affirmat, eique poeſin, uelut luſu quodam aemulam, adiungit. In utraque animus liberalis et ingenuus nihil magis, quam ueritatem quaerit, labi autem, errare, neſcire, decipi turpe ac indecorum ducit. Ceterum diuerſimode hic atque illic ueritas inueſtigatur. Philoſophia enim, exploratis rerum cauſis, ſcientiam quaerit:

(*) Verulamius de Augmentis Scient. Lib. II. c. 1. cum quo fere conſentit auctor Cautelarum nuper ed. Cap. V. §. 1. ubi non male iudicat: *hiſtoriam et philoſophiam eſſe duos oculos ſapientiae, quorum uno qui caret, monoculus ſit, ob ſummam utriusque connexionem.*

rit: hiſtorica ueritas (*) idoneorum teſtium fide et auctoritate continetur. Ad huiusmodi uero auctoritatem duobus potiſſimum opus eſt, primum, ut teſtis ea, quae narrat, ſatis explorate perſpecta habeat, deinde, ut extra fraudis ſuſpicionem poſitus, odioque et amore uacuus nullo partium ſtudio laboret: quorum alterum facit, ut poſſit, alterum, ut uelit nonniſi uerisſima quaeque referre.

Quod ſi prioris ratio habeatur, ſcriptores domeſticos exteris et peregrinis, illi aetati, de cuius hiſtoria agitur, aequales aut ſuppares recentioribus ac remotioribus, teſtes αὐτόπτας, qui rebus geſtis interfuerunt aut praefuerunt, (**) ceteris, qui ab aliis

(*) Veritas hiſtorica) Veritatem hanc cum in legenda tum in ſcribenda hiſtoria rite inueſtigare et obſeruare docuerunt inter ueteres Lucianus libello de ſcribenda hiſtoria, inter recentiores G. I. Voſſius de Arte hiſtorica, P. D. Huetius Praef. ad T. I. Hiſt. Gall. Rapinus in Obſeruationibus de Hiſtoria, Auctor Parrhaſ. Eiſenhart in Diſſert. de fide hiſtorica, et Perizonius in Orat. de eodem argumento conſcripta, Rango praefat. ad Pomeraniam Diplomat. item Bodinus, Patricius, Pontanus, Balduinus et plurimi alii ſub titulo, *Penus Artis hiſtoricae* coniunctime diti Baſileae 1579. 8. ex quibus tamen omnibus pauciſſimos in conſcribenda hac commentatiuncula me relegiſſe, fateor, utpote diuerſo a plerisque inſtituto uſus.

(**) Interfuerunt aut praefuerunt) Hoc nomine fidem ac ueritatis opinionem ſibi conciliat Polybius, dum ea potiſſimum ratione ſe ad ſcribendam hiſtoriam inductum fuiſſe, affirmat, *quod non ſolum ſpectator plerorumque, ſed et adiutor, quorundam etiam auctor fuerit et adminiſter* ſub init. Lib. III, imo, ne quid falſi de rebus Romanorum ſcriberet, Africam, Hiſpaniam, Galliam, et Alpes perluſtrauit, ipſumque Oceanum Atlanti-

aliis ſua acceperunt, praeferendos eſſe, nemo dubitat uel ignorat. Atque haec cauſa eſt, quamobrem tantum ad fidem faciendam momenti habeant diplomata ſiue ſcripta publica principis uel ciuitatis cuiusdam auctoritate exarata, qualia praeter Steph. Baluzium, (*) Phil. Labbeum, (**) Io. Mabillonium, (***)

cum nauigauit, ut praeter ipſum l. c. oſtendit Plinius Hiſt. Nat. L. V, c. 1. Similiter Thucydides rebus a ſe geſtis interfuit, nec ſumptibus ad ueritatem indagandam pepercit, ut ipſe ſub init. Lib. I. et Marcellinus in uita eius his uerbis teſtatur: *Multa Atheníenſium et Peloponneſiorum militibus, multa aliis largitus eſt, ut res omnes in bello geſtas dictasque ſibi referrent. Horum tamen iudicia non omnia promiſcue arrepta literis mandauit, ſed magno iudicio uſus eſt, nihil, niſi cui uel ipſe interfuiſſet, uel quod ab aliis exquiſite didiciſſet, euulgauit.* Taceo Ioſephum, Procopium et alios rerum a ſe ſcriptarum *αὐτόπτας*.

(*) Steph. Baluzium) Praeter diplomata, Miſcellaneis Baluzii inſerta non incommode forſan huc referimus Capitularia regum Francorum, ab eo poſt Vitum Amerbachium, Io. Tilium, Pet. et Franc. Pithoeum, Iac. Sirmondum aliosque cum optimis quibusque Codd. MSS. collata, notis illuſtrata et pleniſſime edita Pariſ. 1677.

(**) Phil. Labbeum) Hic in magno, quod molitus eſt, opere bibliothecae MSStorum cum Latinorum, tum Graecorum, tertiam quamque partem diplomatibus antea nondum editis deſtinauit. Eius delineationem complectitur *Noua Bibliotheca Manuſcriptorum librorum, ſiue Specimen antiquarum Lectionum Lat. et Graecarum Pariſ. 1652. et 1653. 4. edita.* Ipſum uero opus ſimili titulo in forma maiori prodire coepit Pariſiis A. 1657.

(***) Io. Mabillonium) Qui non modo ſelecta quaedam regum Francorum diplomata Operis ſui de *Re Dipl. Libro VI.* inſeruit, ſed et omnium, quae extant, deſignationem edere deſtinauit, ut indicat Io. Nic. Hertius ſub init. Diſſ. de Fide Diplomatum: quae tamen deſignatio utrum lucem publicam aſpexerit, non ſatis ſcio.

Thom. Rymerum (*) alioſque exteros, ex Germanis Melchior Goldaſtus, (**) Mich. Caſpar Londorpius, (***) VViguleus Hundius, (****) Aub.

(*) Th. Rymer) ſplendido et regio prorſus opere inde ab A. 1704. ex tabulariis publicis Anglicanis edere coepit *Foedera, Conuentiones, Literas et cuiuscunque generis Acta publica Anglicana, ad mandatum Annae reginae Brit.* cuius operis Tom. IX. prodiit Londini A. 1709.

(**) Goldaſtus) Eius inprimis Conſtitutiones Imperiales A. 1673. Frf. editae huc pertinent, etſi cum iudicio legendae. Nam multa in iis ſpuria occurrere, pridem ab eruditis notatum eſt. Exempli loco ſint Charta diuiſionis regni Francorum inter filios Caroli M. Tomo unico Conſt. p. 154. ad A.C. 806. diploma Ottonis M. p. 215. ad A. 947. Ottonis II. p. 978. ad A. 978. relatum, quae falſi conuicit Hertius de fide Diplom. Sect. I. §. 11. item diploma Ottonis IV. Tom. III. p. 371. ad A. 1209. de quo ipſe Goldaſtus Comment. de Regno Bohem. c. V. n. 9. *Liceat*, inquit, *fateri, quod res eſt. Impoſuerat mihi Marq. Freberus, qui illud decretum ſua manu exſcriptum ſub nomine Ottonis IV. ad me miſit: ego porro aliis, communicando et in Conſtitutiones imperiales referendo, ſed ſine dolo et fraude. Comperi enim poſtea, illud decretum non eſſe Ottonis IV. Brunſuigii, ſed a Io. Bapt. Egnatio in uita Ottonis III. confictum, probabilius quidem iuxta ueterum opinionem, quam uerius.* Quot interea uiris doctis impoſuerit hoc decretum, oſtendi in commentatione de Origine Electorum cap. III. §. 7.

(***) Londorpius) in S. R. Imperii *Actis publicis* fere ab initio Seculi XVII, editis primum Frf. A. 1622. 4. quae poſtea in maiori forma recuſa, et a Mart. Meyero aliiſque aucta et continuata, ſed ſimul etiam in nonnullis locis caſtrata ſunt. Vnde primam et ultimam editionem coniungendam eſſe, monet Chr. Gryphius de Scriptoribus Seculi XVII. p. 90.

(****) Hundius) in *Metropoli Saliſburg.* A. 1582. Monachii primum ed. deinde cum Chriſtoph. Gewoldi Annotat. recuſa 1620. cui diplomata Pontificum Rom. Imperatorum, regum, Principum etc. inſerta ſunt.

Aub. Miraeus, (*) Chriſtoph. Lehmannus, (**) Chriſtoph. Brovverus, (***) Bohuſl. Balbinus, (****) Nic. Zylleſius, (*****) Nic. Schatenius, (******) Guil.

(*) Aub. Miraeus) Cum Alberto Principi Auſtriaco et coniugi eius Clarae Iſabellae Eugeniae a bibliotheca eſſet, occaſionem nanciſcebatur uetera monumenta Belgica diligentius excutiendi, et multa diplomata hiſtoriam Belgicam inſigniter illuſtrantia a ſitu et putredine uindicandi. Edidit autem primo *Codicem donationum piarum, in quo teſtamenta, Codicilli, literae fundationum, donationum, priuilegiorum a Pontificibus, Imperatoribus, regibus, ducibus, comitibus in fauorem Eccleſiarum, praeſertim Belgicarum, edita continentur. Bruxellis 1624. 4.* cuius tamen Codicis plura fere ad Franco-Gallicam, quam Germanicam hiſtoriam ſpectant. Iſti autem coniunctiora ſunt *Diplomata Belgica Libris duobus a. 1627. ibidem ed.* et eiusd. *Libri II. Donationum Belgicarum, quibus Eccleſiarum et Principatuum origines, incrementa et mutationes continentur, ſacrae et politicae antiquitatis monumenta ex ipſis tabularum publicarum fontibus hauſta proponuntur notisque illuſtrantur, Antwerpiae 1629. 4.*

(**) Chriſtoph. Lehmannus) *Chronico* ſuo *Spirenſi* A. 1661. Frf. primum edito multa diplomata inſeruit, ut et hoc nomine illud inter praecipua iuris publici et hiſtoriae Germanicae praeſidia referri poſſit.

(***) Browerus) *Antiquitatibus* ſuis *Fuldenſibus A. 1612. Antw.* et *Treuirenſibus A. 1670. Leodii* cum Maſenii acceſſionibus ed. multa paſſim monumenta publica hiſtoriam German. illuſtrantia inſeruit.

(****) Balbinus) in *Miſcellaneis Hiſtoricis regni Bohemiae* Pragae A. 1679. f. edi coeptis.

(*****) Zylleſius) in *Defenſione abbatiae Imperialis S. Maximini*, cuius pars III. ſyllogen diplomatum exhibet ſingulorum Regum et Imperatorum a Pipino usque ad Maximilianum I.

(******) Schaten) in *Annal. Paderborn.* Neuhuſii 1693. et *Hiſt. VVeſtphaliae.* 1690. ibid. ed.

God. Guil. Leibnitius, (*) Io. Philippus Dattus, (**) Carolus Lud. Tolnerus, (***) Io. Georg. Leukfeldus, (****) Io. Chriſtophorus Lunigius, (*****) Frid. Erneſtus Ketnerus (******) plurimique alii partim ex autographis primum in lucem ediderunt, partim ab aliis iam edita collegerunt et in certum ordinem redegerunt: ut taceam eos, qui certas hiſtoriae partes ex huiusmodi monumentis ſibi illuſtrandas confirmandasque ſumpſerunt.

Cum uero multa ſaepe in hoc genere recens confiſta pro antiquis, et adulterina pro ueris uenditari ſoleant, uiri quidam eruditi de certis ſignis illa ab his

(*) Leibniz) in Codice Iuris Gentium diplomatico Hannouerae 1693. ed.

(**) Dattus) in *Volumine rerum Germanicarum*, quo ex antiquis *legibus, reſcriptis Caeſarum, Actis et receſſibus Comitiorum, tabulis foederum Originalibus, aliisque documentis, ex Archiuis et MSS. bona fide collectis* hiſtoriam pacis publicae Germ. et ſtatum Seculi XII XIII, XIV et XV, illuſtrat. Vlmae 1689.

(***) Tolnerus) in *Hiſtoria Palatina Frf. 1700.* ed. cui addidit Codicem Diplomaticum Palatinum, ſiue diplomata Principum et Comitum Palat. Rheni hiſtoriam Palatinam illuſtrantia.

(****) Leukfeld) in Antiquitatibus VValkenridenſibus, Ilfeldenſibus, Michaëlſteinenſibus, Gandersheimenſibus etc. multa diplomata alias ignota protulit.

(*****) Lunigius) in magno et laudabili opere, ſub titulo *Archiui Imperialis* aliquot abhinc annis colligi et edi coepto, cuius tamen precio et utilitati multum ſane acceſſiſſet, ſi ſcriptores, et fontes unde ſingula diplomata accepit, non omiſiſſet.

(******) Ketner) in Antiquitatibus Quedlinburgenſibus ſiue Diplomatibus Caeſarum et Bullis Pontificum aliisque monumentis Quedlinburgenſibus ex Archiuis ed. Lipſiae 1712. 4.

Digitized by Google

his diſcernendi cogitare coeperunt. Ac inter primos quidem in diiudicandis antiquitatum Hetruſcarum fragmentis, ingenium atque induſtriam orbi erudito probauit Leo Allatius,(*) dum monumenta illa,per bis mille, ſi diis placet, annos ſepulta, quibus in lucem editis Inghiramius Florentinus, homo non indoctus quidem, ſed impoſtura et fraude Annio Viterbienſi non multum inferior, Italicae, imo uniuerſae hiſtoriae noua incrementa pollicebatur, ita falſitatis conuicit, ut apud omnes fidem amitterent. Pari laude Marq. Freherus Conſtitutionem Caroli Craſſi de expedit. Rom. ſuppoſitam eſſe, probauit, Herm. Conringius (**) nouitatem diplomatis Ludouiciani coenobio Lindauienſi nimium fauentis detexit, et Beniam. Leuber (***) priuilegium Ottonis M. a Magdeburgenſibus

B iacta-

(*) Leo Alatius) *Animaduerſ. in Antiquitatum Hetruſcarum fragmenta ab Inghiramio edita, Pariſ. 1640. 4.*

(**) Conringius) *Cenſura Diplomatis, quod Ludouico Imp. acceptum fert coenobium Lindauienſe* prodiit Helmſtadii 1672. per quam, eruditiſſimorum quorumque, inter ipſos etiam Pontificios, ac inprimis quidem Steph. Baluzii iudicio compoſita et prorſus ſublata eſt tota haec controuerſia. Nihilominus multis poſt annis cauſae ab omnibus derelictae patrocinium nec opinato ſuſcepit anonymus quidam, et A. 1695. Apologiam pro Coenobio Lindauienſi edidit multis aduerſus optimum Conringium iam diu defunctum iniuriis refertam, quam, uindicata Conringii fama et Cenſura, praeter Tenzelium in Vindiciis Conr. refutauit Io. Nic. Hertius in Appendice Diſſ. de Fide diplom. T. II. Opp.: p. 637.

(***) Beniamin Leuber) in *Diſquiſitione Stapulae Saxonicae ab Impp.*

iactatum exploſit. Quae uero alii exemplis docuerant, ea non modo in examinandis Carmelitarum aliorumque ordinum religioſorum monumentis feliciter imitatus eſt, ſed et certis praeceptis comprehendere atque in artis formam redigere aggreſſus eſt Dan. Papebrochius, (*) eo ſucceſſu, ut Io. Mabillonius (**) parum aut nihil in regulis eius reperiret, quod iure reprehendere poſſet. Interea negandum non eſt, hunc multo maiori apparatu, uſu et peritia ex ueterum chartarum tractatione comparata inſtructum ad illuſtrandam rem diplomaticam acceſſiſſe, et ea inprimis, quae ad diplomata ex chartis, ſcriptura, ſtilo, titulis, ſubſcriptionibus, ſigillis notisque Chronologicis

Carolo M. Ottone M. Frid. III. aliisque Caeſaribus Aug. conſtitutae aduerſus Magdeburgenſium Conſilium Borchoſtinum, Statum originarium et Priuilegium Ottonicum, Budiſſae 1658. 4. ed. ius frumenta Albi ſubuecta detinendi, et conſtituto monopolio quodam diuendendi, quod Magdeburgenſes potiſſimum auctoritate priuilegii cuiusdam ab Ottone M. conceſſi ſibi arrogabant, deſtruxit, et iſtud n. 197. recitatum, ut ſuppoſitum reiecit n. 199. ubi ſimul lectorem ad *Diſcurſum* ſuum *von der Stadt Magdeb. alten Priuilegiis und Sachſen Recht* P. I. n. 54. ſqq. ad P. Heigii Quaeſt. 8. P. I. n. 20. ſqq. Matthiae Coleri Orat. de Iuris Sax. Origine et Progr. alioſque de hoc diplomate commentatos remittit.

(*) Papebrochius) in *Propylaeo Antiquario circa ueri falſique diſcrimen in uetuſtis monumentis, praeſertim diplomatis, obſeruandum*, quod inſertum eſt Actis Sanctorum menſis April. T. II. A. 1675. Antw. ed.

(**) Mabillonius) Lib. III. de Re Diplom. c. 1.

cis iudicanda pertinent, ita excuſſiſſe, ut primae in hac arte non immerito ad eum deferantur. Quae enim Barthol. Germonius in diſceptationibus ſuis de ueterum regum Francorum diplomatibus et arte ſecernendi antiqua diplomata uera a falſis obiecit, coniecturis fere nituntur, et magis ex contendendi ſtudio, quam ſolido fundamento profecta uidentur, ſatis praeterea cum ab ipſo Mabillonio, (*) tum a Iuſto Fontanino, (**) Domin. Lazzarino, (***) Scipione Maranta, (****) Theodorico Ruinarto (*****) confutata. Elegans eorum, quae a Mabillonio, Conringio et aliis quibusdam de hoc argumento tradita ſunt, compendium ſiſtit Io. Nic. Hertius in diſſert. de fide diplomatum Germaniae regum et imperatorum. Neque inutiliter cum iis coniunges, quae non ita pridem Cl. Heineccius (******) de ſigillis

(*) Confutata a Mabillonio) librorum de re dipl. Supplemento A. 1704. Pariſ. ed.

(**) Fontanio) *Vindiciis antiquorum diplom. contra Germonii diſceptationem* ed. Romae 1707. 4.

(***) Lazzarino) *defenſione in P. Bartholom. Germonium* Venet. 1708. 8.

(****) Maranta) Expoſtulatione in B. Germonium pro antiquis diplom. et codicibus MSS. Meſſanae 1708.

(*****) Ruinarto) praefat. ad nouam operis Mabillonii edit. Pariſ. 1709. alioquin Georgii Hikeſii theſauro lingg. Septentrional. potiſſimum oppoſita.

(******) Heineccius) *Syntagm. Hiſtor. de ueteribus Germanorum aliarumque nationum ſigillis, quo inprimis ſigilla Impp. regum, principum, Pontificum etc. deſcribuntur*, Lipſiae, 1709. f.

gillis monuit. Ceterum Mabillonii induſtriam ad diiudicanda Latina diplomata collatam Bernardus Montfaucon (*) Ordinis Benedictini ſocietate cum illo coniunctus non infeliciter in tradendis de Graecorum monumentorum fide praeceptis aemulatus eſt, et ſimul, quaecunque ad harum literarum originem, fata, et mutationes temporis progreſſu factas pertinent, ita explicata dedit, ut non minorem in hoc genere laudem conſecutus uideatur.

Praeter diplomata inſcriptiones antiquae ad corroborandam ueteris praeſertim hiſtoriae fidem tanto firmius argumentum ſuppeditant, quanto lapides iisdem-ſignati ad perferendas ſuperandasque iniurias temporum durabiliores ſunt. Multarum certe rerum memoriam in chartaceis monumentis tantum non prorſus deletam recentior aetas ex illis partim illuſtratam, partim reſtitutam uidit. Notitiam Imperii Octauiani ſuperiori ſeculo auxit monumentum Ancyranum (**) Chronologiam et antiquitates Graecorum ex marmoribus Arundellianis magis illuſtrarunt Io. Seldenus, Th. Lydiatus et Humphr. Prideaux.: (***) ordi-

(*) Montfaucon) in *Palaeographia Graeca* Pariſ. 1708.

(**) Monumentum Ancyranum) primum a Busbequio Ancyrae ex uetuſto marmore arcis ruinoſae deſcriptum, uid. eius epiſt. I. p. 15, 16. deinde a Lipſio, Caſaubono, et And. Scotto expoſitum, tandemque ex ſchedis Dan. Coſſonii emendatius et auctius cum notis Gronouii ed. Lugduni 1695.

(***) Prideaux) Quae de marmoribus Arundellianis a Seldeno, Lydiato et aliis edita uel ſcripta fuerant, iſte coniunxit, et

ordinem ac numerum Archontum Athenienſium nusquam certius et accuratius conſignatum deprehendas, quam in antiquiſſima inſcriptione Ionicis literis exarata et ſuperiori ſeculo Athenis eruta, cuius primam editionem Iac. Sponio, (*) ſed meliorem explicationem Bern. Montfauconio(**) debemus: Seueri lapides Marcus Velſerus(***) non ſolum Itinerario Antonini, ſed etiam Ptolemaeo ac omnibus, quot extant, Geographis antiquis praeferre non dubitat. Quare haud dubie de re hiſtorica optime meriti ſunt, qui ad illas e ſaxis marmoribusque deſcribendas et colligendas ſtudium ſuum contulerunt. Inter hos uero literati orbis conſenſu principem facile locum tenet Ianus Gruterus, qui poſt Iac. Mazochium, Cyriacum Anco-

nita-

nouis acceſſionibus aucta in lucem emiſit ſub titulo: *Marmora Oxonienſia ex Arundellianis, Seldenianis aliisque conflata* Oxon. 1676. In praef. pronunciare non dubitat, uno marmore, Arundell. quale inprimis eſt Chronicon illud Parium, quod in P. II. primum locum tenet, de Graecorum temporibus plura contineri, quam in omnibus libris editis: et Lydiatus in Anotat. p. 81. id omnium eius generis monumentorum hactenus editorum praeſtantiſſimum eſſe, affirmat. Taceo, quae de aetate Cecropis, Deucalionis, Hellenis, Cadmi, Danai, item Heſiodi et Homeri, de tempore excidii Troiani, de origine Senatus Areopagitici, myſteriorum in Eleuſine et aliis huiusmodi antiquitatibus, primum ex iis eruta ac demonſtrata ſunt.

(*) Sponio) Vid. eius Itiner. T. III. P. II. p. 106.

(**) Montfauconio) l. c. lib. II. cap. V. p. 145. ſqq.

(***) Velſerus) Rerum Vindelic. lib. III. p. 27.

nitanum, And. Alciatum, Petr. Apianum, Barthol. Amantium, et alios a Pet. Burmanno (*) nuper ex inſtituto recenſitos, uiam praemonſtrantibus aut operam conferentibus Mart. Smetio, Iuſto Lipſio, I. I. Scaligero, Iano Douſa, praeclarum illud, et, ut iure uocatur, aeternum opus inſcriptionum nobis reliquit. Neque tamen tanta induſtria omnia huiusmodi antiquitatis fragmenta ita inueſtigari potuerunt, ut non multa paſſim illam effugerent, Reineſii, (**) Sponii, (***) Noriſii, (****) Vrſati, (*****) Fabretti, (******) et aliorum curis colligenda. Iungere iſtis licet Octauium Boldonium (*) et Ant. uan-Dalen, (**) idem fere in hoc genere, quod Ma-

(*) Burmanno) praefat. nouae editioni Operis Gruteriani Amſtel. 1707. praemiſſa.

(**) Reineſii) Syntagm. Inſcriptionum Romae ueteris Lipſ. 1682.

(***) Sponii) in *Miſcellaneis eruditae antiquit.* in quibus marmora, ſtatuae, numiſmata Grutero, Vrſino, Boiſſardo, Reineſio etc. ignota referuntur et illuſtrantur, Lugd. 1679. ſeqq. ed.

(****) Noriſii) in *Cenotaphiis Piſanis Caii et Lucii Caeſarum* Venet. 1681. cum eruditis Diſſ. ed. quorum antiquitatem ab Harduino Proluſ. p. 67. 68. impugnatam aſſerit ac defendit la Croze in Vindic. ueterum Script. p. 55.

(*****) Vrſati) qui *Marmora erudita* cum explanationibus quorundam, quae partim in Gruteriano opere extant, partim poſthac reperta fuerunt, edidit Patauii 1688.

(******) Fabretti) in *Inſcriptionum antiquarum, quae in aedibus paternis adſeruantur, explicatione et additamento*, Romae, 1699.

(*) Boldonium) in Epigraphica Auguſtae Peruſiae ed. 1660.

(**) Ant. uanDalen) in erudito Opere de Antiquitatibus et marmoribus, quod commendat Montfaucon Palaeogr. p. 149.

Mabillonius et Moutſauconius in diplomatum diiudicandorum arte praeſtare conatos.

His ipſis tamen ſaxeis marmoreisque monumentis non immerito Ez. Spanhemius (*) praeferre uidetur ea, quae nummis impreſſa ad aetatem noſtram peruenerunt. Nam ut metalla lapides illos pretio uincunt: ita fere nummi inſcriptiones diuturnitate et, ſi hodienum ſuperſtites conſideremus, antiquitate ſuperant. Cum enim nummi extent ante Alexandri M. tempora, imo ante urbem Romanam conditam cuſi (**) inter inſcriptiones contra ea iudice Span-

(*) Spanhemius) Refert, amicam aliquando inter ſe et Marq. Gudium concertationem fuiſſe, cum hic ex Inſcriptionibus, ipſe uero ex nummis plus utilitatis ab antiquitatum ſtudioſis percipi, contenderet, et ſententiae ſuae rationes exponit ſub init. Diſſ. IX. de Praeſt. et Vſu Numiſm.

(**) Nummi ante urbem cond. cuſi) Intelligendum hoc eſt praecipue de nummis Graecis. Nam etſi Conringius nullum ex his tempora belli Peloponneſiaci attingere, putet, Parad. V. de nummis Ebraeor. c. 9. tamen aliter iudicant, qui locupletiora nummophylacia diligentius excuſſerunt. Leg. Ioberti Notitia rei nummar. praec. I. p. 4. Extat, ut alios nunc taceam, in gaza regia Brandenburgenſi nummus ab ipſo Phidone, menſurae ponderum ac monetae cuſae inuentore, in Ægina inſula nongentis ante C. N. annis cuſus, quem a Clariſſimo humaniſſimoque Viro I. C. Schotto inter praecipua gazae illius nummariae cimelia Berolini mihi oſtenſum memini. Hunc iam a L. Begero T. I. Theſauri Brandenb. p. 279. deſcriptum, ſed ab Othone Sperlingio deinde impugnatum, eruditiſſimus ille, quem laudaui, antiquarius uindicauit, et omnes tantae uetuſtatis characteres habere, oſtendit in

Spanhemio non facile antiquior Duiliana (*) illa, quae A. V. C. CDXCIII. tertio ante C. N. ſeculo exarata apud Reineſium extat, oſtendi poteſt. Neque id mirum uidebitur, ſi reputemus, harum plerumque nonniſi unicum, illorum uero plurima exempla fieri, has publice temporum iniuriis expoſitas admodum negligenter a poſteris tractari, illos feris ciſtisque concluſos ſumma ſingulorum cura cuſtodiri ſolere. Quantum uero lucis nummi non modo hiſtoriae, ſed inprimis etiam Chronologiae et Geographiae,

diſquiſitione de nummo Phidonis inter Miſcellanea Berolin. Societatis regiae Scient. P. I. n. 5. edita. Hunc ipſum tamen nummum antiquitate uincunt ſicli Hebraeorum, ſi uerum eſt, quod Hottingerus, VValtonus et alii ab hoc laudati magno conſenſu affirmant, quosdam eorum inde a Salomonis ac Dauidis aeuo ad nos perueniſſe. Atenim, Hebraeos nunquam ante libertatem ab Haſmonaeis recuperatam, et ius monetae ab Antiocho impetratum, iuxta 1. Macc. XIII, 41. et c. XV, 6. nummos a ſe cuſos habuiſſe, Conringius l. c. iis argumentis probauit, quae eruditiſſimos quosque, nominatim Io. Bapt. Ottium, Hadr. Relandum, Io. Harduinum, in aſſenſum pertraxerunt.

(*) Duiliana) C. Duilius Cos. Poenis claſſe uictis, A. V. C. CDXCIII. ante C. N. 258. primus triumphum naualem egit, ob eamque cauſam praeter ceteros honores inuſitatos, de quibus leg. Cicero de Senect. c. XIII, Florus L. II, c. 2. Val. Maximus L. III, c. 6. hunc etiam conſecutus eſt, ut columna roſtrata ei in foro poneretur, uictoriae illius memoriam apud poſteros conſeruatura, ut teſtatur Plinius Hiſt. Nat. L. XXXIX, c. 5. Huius columnae inſcriptionem a Petr. Ciacconio ſuppletam et expoſitam Spanhemius Diſſ. V. de Praeſtantia et uſu Numiſm. p. 758. ed. Amſt. 4. omnium, quae

phiae, quibus illa uelut alis ſubuehitur, affundant, praeter ceteros Io. Vaillant (*) in ordinanda regum Syrorum et Aegyptiorum ſerie, Fr. Henr. Noriſius (**) in conſtituendis epochis Syro Macedonum, et ante illos Io. Harduinus cum aliis ſcriptis, tum praecipue libro de populis et ciuitatibus, quarum memoria in nummis conſeruata eſt, etſi, more luxuriantis ingenii ſui, modum ſaepe in nummis ſupra alia literarum monumenta euehendis excedens, ſat illuſtribus exemplis docuerunt. Idem, ut plures alios a Phil. Labbeo integra bibliotheca nummaria collectos omittam, iam ante

C lauda-

ad aetatem noſtram peruenerunt, antiquiſſimam eſſe, putat, et Humphr. Prideaux in praef. Marm. Oxonienſ. magnis laudibus effert, eique uelut proximam iungit et inter monumenta Oxon. primo loco ponit formulam foederis Smyrnaeorum et Magnetum circa A. V. C. 508. initi. Sed utramque antecedere uidentur inſcriptiones illae Athenienſes Ionicis literis exaratae, et A. 1674, a regis Galliae oratore Conſtantinopolitano erutae, quas Montfauconius tempore belli Peloponneſiaci 450. ante C. N. annis ſcriptas, et omnibus, quae adhuc in marmoribus repertae ſunt, antiquiores eſſe, iudicat, Palaegor. Gr. L. II. c. 4.

(*) Vaillant) edidit *Seleucidarum imperium ſiue hiſtoriam regum Syriae* Pariſ. 1681. 4. in qua ueram regum Syrorum ſeriem a Seleuco I. usque ad Antiochum III. e nummis eruit, et hiſtoriam duorum cum dimidio ſeculorum illuſtrauit. Idem poſtea in *Hiſtoria Ptolemaeorum Aegypti regum* ad fidem numiſmatum accommodata et Amſtel. 1701. f. ed. praeſtitit.

(**) Noriſius) cuius *Annus et epochae Syromacedonum in uetuſtis urbium Syriae nummis, praeſertim Mediceis expoſitae* iterum prodierunt Lipſ. 1696. 4.

laudatus Ez. Spanhemius ueteris hiſtoriae Graecae, Romanae et barbaricae exemplis ita probatum dedit, ut plura de nummorum utilitate ſcripturis non tam praebuiſſe, quam praeripuiſſe dicendi materiam uideatur. Meretur tamen cum eius diſſertationibus coniungi perelegans celeberr. D. V. E. Loeſcheri diſputatio, qua uſum rei nummariae in hiſtoria Eccleſiaſtica erudite commonſtrauit. Ac alia quidem multa nummi cum inſcriptionibus et literarum monumentis communia, hoc uero proprium atque eximium habent, quod ipſas rerum uetuſtate obſoletarum imagines oculis ſubiiciant, et non modo regum principumque uirorum facies ac ueſtitum, ſed et opera publica, templa, porticus, theatra, roſtra, aquarum ductus et horum ſimilia ſpectanda ſiſtant. Quo nomine utilem rei hiſtoricae ex nummis illuſtrandae operam nauauit Iac. Oiſelius, (*) dum res in auerſa horum facie expreſſas certis claſſibus diſtribuit, et quae eiusdem generis ſunt, uno conſpectu intuenda propoſuit. Neque hic defuerunt, qui ſpurios nummos a ueris diſcernendi regulas ſuppeditarent, inter quos Ioberti notitia numiſmatum non minus concinnitate, quam breuitate ſe commendat.

Quantiscunque autem praeſidiis ad ueritatem cognoſcendam aliquis inſtructus ſit, ueri tamen hiſtorici laudem non tuebitur, niſi et animum ſincerum affectibusque uacuum ad ſcribendum attulerit. Quantam

(*) Oiſelius) in Theſauro Numiſm. antiq. Amſt. 1677. 4.

tam enim amor, odium et metus uim habeant ad ueritatem peruertendam, multis per tot ſecula exemplis comprobatum eſt. Impingunt hic plerumque uitarum ſcriptores, et ſuſcepti negotii ſtudio impediti facile hiſtorici perſonam cum panegyriſtae partibus commutant. Conſtat, hoc inter ueteres Chriſtianorum ſcriptores Euſebio inprimis exprobrari, et inter Graecos hiſtoricos a Xenophonte Cyrum, non qualis fuerit, ſed qualis eſſe debuerit, fuiſſe deſcriptum. Quod uitium ut uitaret Cl. Salmaſius, (*) nullo praemio propoſito ad res Richelii literis commendandas ſe adduci paſſus eſt, et I. Lipſius ſimilem prouinciam a Philippo Hiſpaniarum rege ſibi oblatam recuſare, collectamque eius gratiam effundere maluit, quam aut ueritatis ſtudio eum offendere, aut huius fines tranſilire. Nulli uero unquam in hoc genere indignius hiſtoriae leges uiolarunt, quam qui ante et poſt Simeonem Methaphraſten (**)

(*) Salmaſius) leg. Patini epiſt. 2. et Morhof. Polyhiſt. T. I. L. I. c. 15. §. 18.

(**) Methaphraſten) Conſtat, hunc, uelut Ariſtarchum huiusmodi monumentorum, Seculo X. ex incondita, quae iam tum extabat, illorum farragine optima quaeque ſelegiſſe, alia etiam emendaſſe, et reſectis fabularum quisquiliis, in meliorem ordinem redegiſſe: quod, poſt Leonem Allatium, Mart. Hanckium, Guil. Caueum aliosque, non ita pridem Montfauconius Palaeogr. Gr. L. IV. c. I, 2. inſtituta inter uitas quasdam Sanctorum, quales ex Simeonis officina prodierunt, et inter eas, quae in Codicibus Seculi IX. aetatem referentibus, deprehenduntur, comparatione, luculenter ob oculos poſuit. Interea neque Simeonis induſtria omnes errores correctos eſſe, et multa deinceps

Sanctorum acta ſcripſerunt uel corraſerunt. Horum enim legendas aureas anilibus fabulis fictisque miraculis refertas non immerito Lud. Viues (*) a corde plumbeo oreque ferreo profecta eſſe, iudicat. Et ſane dum falſis laudibus neſcio quam uenerationem ſanctis ſuis apud imperitum uulgus conciliare ſtudent, apud prudentes ea etiam, quae uere fortaſſis tradiderunt, ſuſpecta et fide indigna reddiderunt. Nihilominus hodienum, quod mireris, Iacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, Lipomannus, Surius, aliique illorum ſimiles non modo, tanquam bene de re ſacra meriti laudantur, excuſantur, defenduntur; (**) ſed et, qui iſta hiſtoriae expurgamenta quodammodo remouere, aut certiora de uitis ſanctorum, quos uocant, ſcribere conantur, coetus Romani inuidiam et criminationes, imo publicam condemnationem incurrunt: quod praeter ea, quae

ficta Sanctorum acta ſub nomine eius comparuiſſe, ſatis demonſtrat Leo Allatius Diatr. de Simeonum ſcriptis p. 119. ſqq. neque diffitetur Bollandus praef. ad acta Sanctorum c. I. §. 18. Imo, ſi ſequentium ſeculorum commenta repútes, omnia, quae ante Metaphraſten ficta fuerunt, ludum iocumque fuiſſe, dixeris.

(*) Viues) *Lib. II. de cauſis corruptarum artium.* Indigne autem fert hoc iudicium, et Viuem illud a Deſid. Eraſmo praeceptore ſuo accepiſſe, putat Bollandus in praefat. ad Acta SS. Cap. I. §. 4. p. 20. Plura de miraculis et reuelationibus Sanctorum non temere credendis leg. apud Voſſium de Arte hiſt. c. IX. et XIV. et Bodinum Meth. Hiſt. c. IX.

(**) Defenduntur) Leg. Bollandus l. c.

Digitized by Google

quae Papebrochio et ſociis eius acciderunt, (*) uel

C 3

(*) Papebr. et ſociis acciderunt) Dan. Papebroch, qui poſt Io. Bollandum et Godofr. Henſchenium ad colligenda et illuſtranda acta Sanctorum operam et ſtudium ſuum contulit, eo potisſimum Carmelitas offenderat, quod fabuloſam huius ordinis antiquitatem inde ab Eliae, imo Enochi temporibus repetitam, et bullas Pontificum aliaque monumenta, quibus commenta ſua ſuperſtruunt, falſitatis conuicerat, adeoque et Sanctos, quos ante Seculum XII. Ordini ſuo arrogant, pro talibus agnoſcere recuſarat. Hinc non ſolum plurimorum ſcriptis impugnabatur, qualia ſunt: *Heroica Carmeli regula a Sanctiſſimo Propheta Dei Elia uita et exemplis tradita, a myſtei ſcriptoris uilipendio uindicata, per Valentinum a S. Amando, eiusdem Ordinis hiſtoriographum, Colon. 1761. Pomum diſcordiae, ſiue diſſidii inter Papebrochium et Carmelitas origo, progreſſus et fructus*, item: *Nouus Iſmaël, ſeu Papebrochius omnes oppugnans orbi expoſitus per Iuſtum Camum: Papebrochius hiſtoricus coniecturalis bombardizans in Actis Sanctorum S. Lucam, et SS. Patres, Pontifices, Cardinales, indulgentias, bullas, breuiaria, et ueteres fundationes monaſticas, reſtinctus a Dn. Chriſtiano del Mare*, et plurima alia uno uolumine comprehenſa ſub titulo: *Ieſuiticum Nihil, Papebrochio Ieſuitae ſuper ipſius cum Carmelitis quoad Ordinis illius hiſtoriam controuerſia Carmeliticis ſcriptis conuicto et ad ſilentium redacto demonſtratum auctore Pet. Fiſchero Francone, Salisburgenſi apud Godofr. Iunk.* Conf. Acta Erud. A. 1696, p. 500, ſqq. ſed et praeterea A. 1693. Sebaſtiani a S. Paulo Ordinis Carmelitani in Belgio Prouincialis *libello ſupplici pro Origine et antiquitate Ordinis Carmelitarum uariisque illius hiſtoriis*, et paulo poſt *Exhibitione Errorum* aliisque huiusmodi libris Romam miſſis apud Innocentium XI. P. R. imo etiam delationibus Hiſpanicis coram Inquiſitionis tribunali peracerbe accuſabatur. Quibus tamen cum ipſe Papebrochius in *Reſponſionibus ad Exhibitionem Errorum*, Antw. A. 1696. ſeq. editis, et *Elucidatione Hiſtorica Actorum in controuerſia ſuper origine, antiquit. et hiſtoriis S. Ordinis. B. M. de Monte Carmeli, inter quosdam illius et S. I. ſcriptores acta SS. illuſtrare profeſſos*, quae eſt Pars III. et ultima Reſponſionum

uel nuperum Adr. Bailleti (*) exemplum oſtendit.

Ex altera uero parte alii non minus odio et inuidia offendunt, atque a ueritatis orbita deflectunt. Cuius rei exempla iam olim praebuerunt Philiſtius in hiſtoria Dionyſii Syracuſani, Timaeus in uita Agathoclis, Zoſimus in deſcribendis rebus Chriſtianorum, Procopius et ſimiles ἀνεκδότων ſcriptores. Neque ignotum eſt, quod de P. Iouio teſtatur Ioſ. Scaliger, (**) eum in aula Henrici II. regis et obſcuriſſimo cuique mercede generis claritatem promittere, et ſibi aduerſantibus ultionem apud poſteros maledicentia ſua minitari ſolitum fuiſſe. Ex hac tam diuerſa animorum propenſione natae ſunt tot hiſtoricorum diſſenſiones, quales iam olim inter Herodotum et Cteſiam, inter Liuium et Dionyſium Halicarnaſſeum, inter Euſebium et Zoſimum, ac recentioribus temporibus inter Iouium et Belcarium, inter Guicciardinum et Bembum, inter Surium et Sleidanum, inter Haraeum et Grotium, inter Buchananum et Cambdenum

Antw. 1698. 4. tum ſocius eius Conradus Ianningus in *Apologia pro Actis Sanctorum* Antw. 1695. ed. ſatisfecit.

(*) Bailleti exemplum) Edidit ille *Vitas Sanctorum ex optimis monumentis collectas et iuxta ordinem Calendariorum ac martyrologiorum diſpoſitas Volum. XII.* Pariſ. 1704. Sed quia in miraculis recenſendis cautior, ueritatis in hiſtoria Eccleſ. ſtudioſior, et in iudiciis Diſſertationi praeliminari de Biographia ſanctorum liberior fuerat, quam curia Romana pati poteſt, opus illud a congregatione inquiſitionis Rom. damnatum eſt. Leg. Basnage Hiſt. des Ouvrag. des Sau. A. 1708. p. 409.

(**) Scaliger) epiſt. I. ad I. Douſam.

denum, inter Kyriandrum et Brovverum, inter Chiffletium et Blondellum, inter Sanderum et Burnetum, inter Varillaſium et Brunsmannum, inter Maimburgium et Seckendorfium multoſque alios interceſſerunt. Quid quod unum eundemque ſcriptorem, ſtudio partium, progreſſu temporis, mutato, de eadem re diuerſa tradere uideas: quo nomine ipſe Pufendorfius, illuſtris alioquin ſuperioris ſeculi ſcriptor accuſatur, quod, cum hiſtoriam Suecicam pariter ac Brandenburgicam ex tabulariis publicis ſe ſumpſiſſe, profiteatur, nihilominus in hac nonnulla illi contraria ſcripſerit. (*) Eodem referre licet corruptelas aliorum ſcriptis ſtudio partium illatas: quarum cum uel ſexcenta exempla a uiris eruditis notata et peculiaribus libris collecta ſint, iſtis uel unicum hic addam, Vratislauiae in bibliotheca Eliſabethana, commonſtrante excellentiſſimo mihique amiciſſimo uiro Gottlobio Kranzio, qui huius aeque ac ſcholarum A. C. in florentiſſima illa ciuitate curam ſumma cum laude gerit, oculis uſurpaui. Extat nimirum in illa Io. Froiſſardi hiſtoria rerum ſuo tempore geſtarum in uetuſto codice membranaceo elegantiſſime ſcripta, pretioſis picturis diſtincta, et quod maximum eſt, nulla ſui parte mutilata aut corrupta. Hunc codicem ſi cum uulgo impreſſis et opera Dion. Sauuagii editis comparaueris, in iſtis omnia fere quae dignitati aut rationibus Gallorum minus conſentanea uidentur, o-

miſſa

(*) Scripſerit) Leg. Rangonis praef. ad Pomeran. diplom. ſub. fin.

miſſa, atque adeo integras ſaepe paginas ſuppreſſas eſſe, deprehendas. Sed haec talia obiter ſaltem ſtrictimque hactenus delineata diligentius in poſterum excutiendi atque in tractandis hiſtoricorum ſcriptis obſeruandi occaſio mihi oſtenditur. Nam diuini Numinis nutu praeter ſpem et opinionem euenit, ut Potentiſſimus Poloniarum Rex et Elector Saxoniae Dominus ac Nutritor noſter longe clementiſſimus, poſt beneuolam ampliſſimi ſenatus Academici pariter ac ordinis philoſophici commendationem, munus hiſtoriae in hac Academia publice docendae D. H. L. Schurzfleiſchii, uiri clariſſimi diſceſſu uacuum ad me Vratislauia reuocatum deferret. Quod ut demiſſiſſima mente ſuſcipio, ita, quoad eius per uirium imbecillitatem facere potero, omni cura et induſtria ſuſtinere ſtudebo. Initium huius laboris faciam praecipuis quibusdam ſtudii hiſtorici adiumentis publice explicandis: quibus propediem Imperii Romano-Germanici hiſtoriam iuris publici fundamenta continentem pariter ac rerum in orbe Chriſtiano geſtarum explanationem adiungam. Iis omnibus autem cras, DEO annuente, orationem auſpicalem de uero hiſtoriae uſu ac fine praemittam: ad quam hora locoque conſuetis audiendam Magnificum Pro-Rectorem, ampliſſimos Academiae Patres, generoſos nobiliſſimosque ciues, et omnes denique bonarum literarum fautores ea, qua par eſt, obſeruantia et humanitate inuito, operam daturus, ut primum hoc fauoris ac beneuolentie documentum non apud ingratum collocatum eſſe uideatur. P. P. Vitembergae, Domin. Inuocauit A. S. R. ꝏ ıↄcc xiv.

ORA-

ORATIO AVSPICALIS
DE
VERO HISTORIAE VSV
A. ∞ ıↄ cc xiv Die xix Febr.
IN AVDITORIO MAIORI
VITEMB. HABITA.

P. P.

QVod, pro deditiſſima mea in illuſtrem hanc Muſarum ſedem pietate, et pro beneficiorum, quibus ei obſtringor, magnitudine, ſincere ſemper a DEO immortali precatus ſum, ut ſumma conſtantique felicitate eam florere ſineret, celeberrimosque doctores, quorum doctrina ac meritis illuſtratur, coetus ſui ſolatio, rei publicae commodo, bonorum omnium gaudio, ac literati orbis ornamento, conſeruaret: eius uoti me hodierno die compotem conuictumque eſſe, maximopere laetor. Nam et locum hunc ampliſſimum diuique Lutheri noſtri ueſtigiis uenerabilem ſolita praeſtantiſſimorum ciuium frequentia ſtipatum uideo, et ex Patrum, quos hinc diſcedens reliqui, numero, nullos deſiderari intelligo, praeter eos, quos uirtus principibus uiris ſpectata ad altiorem dignitatis gradum euexit. Sed ut idem illud tempus, quod iucundiſſimum eruditae huius ciuitatis conſpectum

 non

non ita pridem mihi eripuit, uix reuoluto in orbem anno, non modo illum redderet, ſed et cum tot excellentiſſimis uiris, quos partim ut praeceptores, partim ut patronos fautoresque colui, et abſens quoque ſummo amore proſecutus ſum, collegii ſocietate me coniungeret; hoc ut praeter ſpem et meritum, ita propemodum ſupra uota mihi euenit. Etſi uero imbecillitatis meae optime mihi conſcius diuinae uoluntati et regis potentiſſimi mandatis mente ſubtimida et imponendi oneris grauitatem reformidanti pareo: tamen eam potiſſimum prouinciam mihi obueniſſe, gaudeo, in qua bene atque utiliter induſtriam collocandi materia nemini facile deeſſe poſſit. Tanta enim ſunt, ac tam late patent hiſtoriae commoda, ut omnes alias artes ac diſciplinas non tantum ornet, ſed praeſtantiſſimis etiam praeſidiis inſtruat ac iuuet. Quo magis miror, nonnullos extitiſſe, qui iniquius illi detraherent, et inanis neſcio cuius delectationis potius, quam ſolidae utilitatis laudem relinquendam putarent. Inter hos iam olim Maximus Tyrius, (*) cum hiſtoriae et philoſophiae moralis comparationem inſtituit, non modo hanc longe praefert, ſed et eo cauſae ſuſceptae ſtudio abripitur, ut illam tantum non prorſus de ponte deiiciat, et, uelut omnis bonae frugis expertem

(*) Max. Tyrius) Orat. XII. p. 132. ed. Cantabr.

Digitized by Google

pertem, contemnat. Quid enim, ait, operae pre-„ tium eſt ueterum malorum meminiſſe? Num quic-„ quam Athenienſes iuuit hiſtoria Attica, aut Hali-„ carnaſſeos Ionica, aut Chios Chia? Si quidem illi,„ qui hiſtoriam ſcribunt, honeſta ſegregarent a tur-„ pibus, et his occultatis, illa tantum celebrarent,„ id fortaſſe commodi ad animum inde redundaret,„ quod ex elegantis picturae contemplatione ad o-„ culos peruenire ſolet. Atenim miſcentur omnia„ in hiſtoria, et maior eius pars in rebus malis occu-„ patur: crebrius in ea occurrunt tyranni et bellato-„ res iniuſti, crebrius felicitates temere partae, ſce-„ leroſa facinora, calamitates praeter meritum ac-„ ceptae tragicique caſus, quorum periculoſa eſt„ imitatio, memoria pernicioſa, infortunium perpe-„ tuum. Quare talium potius ſermonum epulas re-„ quiro, quarum ſalubritas Socrati, Platoni, Xeno-„ phonti, Aeſchini ſanitatem attulit. Nam etiamſi„ Peloponneſii ab armis abſtinent, et latrocinia ces-„ ſant in mari, hoſtibus etiam quieſcentibus moenia„ quaſſantur, autore non Philippo, ſed tempore.„ Scilicet animus hominum cum affectibus conflicta-„ tur, cupit, timet, dolet, inuidet: pugnam uides„ acerbam et implacabilem. Huiusmodi mihi bel-„ lum narrato, Medorum ac Macedonum praelia fa-„ ceſſant: huiusmodi morbum mihi ediſſere, uete-„

„rum ciuitatum peſtilentiam omitte. Dic, cui-„nam huius belli imperium, aut cui huiusmodi cu-„rationem committam. Sine Hippocratem corpora „curare, Themiſtoclem bellum gerere maritimum, „tu mihi animi medicum profer, profer imperato-„rem his hoſtibus debellandis parem. Haec et alia in iſtam ſententiam Tyrius ille ſeuero ſatis ſuper-cilio, ac, ſi uerborum pompam potius, quam rerum pondera ſpectes, non ſine ueri ſpecie, diſputat. Neque multum ab eo diſcedit, qui recentiori tempore non hiſtoriae tantum, ſed omnibus etiam aliis ſcientiis commune quoddam bellum indixit, Henricus Cornelius Agrippa. (*) Nam iis, qui hiſtoriarum lectione prudentiam comparari, affirmant, ex iisdem quoque ſummam hauriri perniciem, reſpondet, propterea, quod plura fere male quam bene factorum exempla deprehendantur, eoque trahit illud Martialis: ſunt bona multa, ſunt mediocria multa, ſunt mala multa. Vt uero praeterea etiam fidei ac ueritatis opinionem hiſtoriae eripiat, pleraque ex aliorum relatu incertoque rumore arrepta literis mandari, affirmat, unde fieri non poſſit, quin multa falſa pro ueris, dubia pro certis poſteritati tradan-

(*) Agrippa) de Vanitate ſcient. et Artium Cap. V. cum quo fere conſpirat Auctor anon. libelli *von der Vngewiſsheit in der Hiſtorie* A. 1704. Lipſiae ed.

tradantur: quin et multa errorum diſſenſionumque exempla ex antiquis et recentioribus hiſtoricis operoſe colligit, et in tantis ſententiarum diuortiis fieri non poſſe, pronunciat, quin plurimi illorum ſint mendacisſimi.

Atque huc fere redeunt accuſationes, quibus Agrippa, uelut actor communi obtrectatorum nomine conductus, hiſtoriam in odium et contemptum adducere ſtudet. Cum uero in omni negotio ſuſcipiendo non ſine cauſa Caſſianum illud: cui bono? uſurpari ſoleat: ego quoque, ne ad rei uanae aut inutilis ſtudium me accingere uidear, paucis nunc ueram, quae ex hiſtoria percipitur, utilitatem ob oculos ponere, et contra hominum illorum criminationes uindicare animum induxi. Quod antequam facere ingrediar, a uobis, Pro-Rector Magnifice, Patres Academiae Conſcripti, ceterique auditores omnium ordinum honoratiſſimi, ut aequas mihi aures praebeatis, et dicturum beneuolentia ueſtra ſubleuetis, ea, qua decet, obſeruantia et humanitate contendo.

Ita fere communi conſuetudine receptum eſt, ut qui ad artem aliquam publice docendam ſe comparant, laudes eius ſtudioſe conquirant, omnesque adeo, quas habent, in dicendo uires conferant ad eius dignitatem amplificandam. Horum uero morem

rem ego in praeſenti non imitabor, atque adeo data opera tacebo, quantum gloriae ac dignitatis hiſtoria maximis quibusque uiris conciliet, dum res praeclare geſtas ab obliuione uindicat, et cum omnium ſeculorum memoria adaequat: non dicam, quantum ad uirtutis commendationem, et ad uitiorum fugam momenti habeat, ſi quis non modo hominum aequalium ac praeſentium, ſed et futurorum, atque adeo omnis poſteritatis iudicia, quae maxime incorrupta eſſe ſolent, ſibi reformidanda eſſe, intelligat. Neque commemorabo, quid uoluptatis afferat, intra conclaue abditum per omnes terrarum partes uagari, omniumque ſeculorum memoriam reuoluere, tot rerum uiciſſitudines, tam uarios ancipitesque hominum caſus ſine periculō ſpectare, ipſa denique interiora regum principumque conſilia intueri et cum exitu ſuo comparare. Haec, inquam, omnia, et horum ſimilia, quae ad commendationem hiſtoriae uulgo proferri ſolent, ſilentio praetermittam, atque id unice agam, ut, cum multa, et a diuerſis quidem diuerſimode, de utilitate eius diſputari ſoleant, quae ex iis optima et ueriſimillima uideantur, exponam. Sunt enim, qui uero illius ſcopo non ſatis intellecto aut inſuper habito, neſcio quae falſa et ficta commoda inde ſibi et aliis pollicentur, atque adeo optimam diſci-

diſciplinam male commendando in contemptum adducunt. Quo nomine non ſolum homines de uulgo, ſed et inter eruditisſimos G. I. Vosſium, Iſ. Caſaubonum, Renatum Rapinum, et alios de hoc argumento ex inſtituto commentatos nuper admodum a nonnemine (*) reprehenſos memini. Quod ſi ergo manifeſtas tantum et apud aequos rerum aeſtimatores extra controuerſiam poſitas hiſtoriae utilitates exponere uelimus, harum per omnes eruditorum ordines tantam copiam deprehendimus, ut in iis commemorandis facilius ſit initium, quam exitum reperire. Vnde nonniſi ſumma rerum capita breuiter ſtrictimque indicare potius, quam pro eo, ac par erat, explicare licebit. Atque ut a ſanctisſima illa DEVM colendi diſciplina ordiar, ea quidem per ſe nullis humanis conſiliis uel adiumentis indiget; ſed inſita quadam, ac diuina uirtute ualet, animosque hominum percellit, et a uitiorum conſuetudine abductos cum DEO coniungit. Sed quantum tamen ad eius ueritatem partim contra improbos irreligioſorum hominum conatus aſſerendam, partim imperitis et S. literarum adhuc expertibus commonſtrandam, momenti et efficaciae habeat hiſtoria et antiquitatis ſtudium, nemini, qui prima ſaltem illius limina ſalutauit, ignotum eſſe poteſt.

(*) Chr. Thom. Cautel. de Hiſtoria §. 59. ſqq.

poteſt. Sunt enim argumenta quaedam diuinorum oraculorum, ipſiusque adeo religionis Chriſtianae ueritatem comprobandi externa et hiſtorico-moralia (*) quae propoſitionem ſuam ex principio mora-

(*) Argumenta hiſtorico-moralia) Talia argumenta ſunt, quae ducuntur a librorum diuinorum antiquitate, a uaticiniorum de rebus futuris contingentibus ueritate per euentum comprobata, ab admiranda religionis per tot ſecula conſeruatione, propagatione et conſenſione, a martyrum conſtantia etc. quibus iam olim ad ueritatem religionis Chriſtianae demonſtrandam uſi ſunt Iuſtinus Martyr Cohortat. ad Graecos, Clemens Alexandr. in Protreptico ad Gentes, Origenes in libb. contra Celſum, Euſebius in Praeparat. et Demonſtratione Euangelica, Theodoritus lib. de curandis Graecorum affect. Tertullianus in Apologet. etc. Recentioribus temporibus idem argumentum ſtudioſe praeter ceteros tractarunt *Phil. Mornaeus* lib. de Veritate religionis Chriſtianae A. 1696. Ienae cum Io. Fr. Breithauptii Annotat. recuſo, *Hugo Grotius* libello eiusdem tituli A. 1709. Amſtelodami cum Io. Clerici, et Lipſiae cum Ern. Sal. Cypriani Annotat. denuo in lucem emiſſo, qui cum alias ſaepe diuerſis, tum aliquando etiam Sinenſi lingua editus, plura, quam omnes Ieſuitarum miſſionarii rei ſacrae ac ueritati Chriſtianae incrementa attulit, *Paſcalius* in Meditationibus de Religione (Penſées ſur la religion) A. 1700. cum Diſſertationibus quibusdam et uita autoris iterum impreſſis: quas maioris et perfectioris operis, quod uir non minus religionis et ſanctimoniae, quam eruditionis laude excellens contra atheos et ueritatis Chriſtianae hoſtes meditatus eſt, ſed morte praeuentus abſoluere non potuit, rudimentum quoddam ac ſpecimen eſſe, teſtatur Baylius Dictionar. Hiſt. Voc. Paſcal. *Pet. Dan. Huetius* in Demonſtratione Euangelica, et Quaeſtionibus Alnetanis. *Iac. Abbadie* in Religione Chriſtiana triumphante, proxime ſuperiori anno 1713. per C. L. B.

morali, omnium ſanorum hominum iudicio conceſſo mutuantur, aſſumptionem uero ex hiſtoricis teſtimoniis deducunt. Horum nullum ab hiſtoriae imperito aut ſatis intelligi, aut contra diſſentientes defendi poſſe, ita in promptu eſt, ut res uerba non deſideret, et per ſe ipſa loquatur. Etſi uero illa ueritatem S. literis comprehenſam non penitus perſuadent hominibus, aut fidem eius diuinam faciunt (*) tamen aduerſariorum impetus refringunt,

E ani-

Germanice uerſa: *M. F. du Roy* in probationibus et Iudiciis de religione Chriſtiana Roterd. 1684. ed. *Pet. Allix in Vernünfftiger betrachtung der H. Schrifft.* A. 1702. ab Eſchenbachio Germanice ed. Etſi uero nonnulla cum hiſtoricorum tum philoſophorum paganorum teſtimonia, quae ad conſenſum in dogmatibus Chriſtianis et horum ueſtigia apud illos demonſtranda afferuntur, nimis longe petita, et alieno interdum loco adhibita fuiſſe, non negauerim: quod uitium Io. Bapt. Criſpus ſingulari libro de Ethnicis philoſophis caute legendis perſtringit, et in Auguſtino Steucho Eugubino, Phil. Mornaeo, Mutio Panſa, Guil. Poſtello et Liuio Galante notauit Iac. Thomaſius Exerc. de Stoica mundi exuſtione §. 19. tamen quorundam demonſtrantium naeui omnem ipſius demonſtrationis hiſtorico-moralis auctoritatem non tollunt, quippe cui non minorem, quam ipſis mathematicorum propoſitionibus uim et euidentiam ineſſe, Paſcalius ſub initium laudati opuſculi et nouiſſime Dittonius P. 2. libri de Reſurrectione Chriſti a. 1712. Londini ed. non ſine ratione affirmant.

(*) Fidem diuinam faciunt) quantacunque ſit illius demonſtrationis efficacia, eam tamen ultra fidem humanam non aſſurgere, adeoque nec ad plenam hominis conuerſionem, quae tota DEI opus eſt, ſufficere, ultro agnoſcimus. Leg. quae de diſcrimine fidei humanae ac diuinae diſputant Theo-

Digitized by Google

animosque erroribus et ignorantia liberatos ad ſalutaris doctrinae ſemina facilius concipienda praeparant quodammodo et inducunt. Liceat exempli cauſa uel ad ſolum ueteris Eccleſiae cum noſtrate in doctrina et ritibus conſenſum, quem tanto conatu ad ſuas partes trahere ſtudent coetui Romano addicti, prouocare. Hoc enim ſolo duobus fere abhinc ſeculis pauló diligentius, quam ſuperiorum temporum conſuetudo ferebat, ex hiſtoriae monumuntis eruto, Magdeburgenſes noſtri diuerſarum partium homines ita perterruerunt, ut quaſi ad commune incendium reſtinguendum conclamarent: cumque praeter ceteros Caeſar Baronius in damnis illis aliquo modo reparandis omnes curas, cogitationes, conatus et totam denique uitam collocaſſet, (*) nihil

logi, ac nominatim quidem praeter ſyſtematicos Muſaeus in Introduct. ad Theolog. P. II. c. 3. Zentgrauius Diſſ. de Teſtimonio Sp. S. interno cum Diſſ. de Lapſu Tertull. ed. Io. Fechtius Diſſ. de mediis cognoſcendi auctoritatem Scripturae S. Io. Cyprianus in Analyſi Fidei Chriſtianae, et inter Reformatos Gisb. Voetius P. I. Diſpp. Sel. n. 3. H. Witſius Diſſ. de auctoritate Scripturae S. ex ratione aeſtimanda, Saldenus L. IV. Otiorum Theol. Exerc. II. de certitudine fidei Diuinae. Stillingflet in Expoſitione fundamentorum fidei Proteſtantium, quae extat T. IV. Opp. Lond. 1710. ed.

(*) Ita ipſe in praefat. Annalium Eccl. cum acerbe in Magdeburgenſes inuectus fuiſſet, de ſe ſcribit: *triginta annos in his pro uiribus deſudauimus: pene enim imberbes eramus, cum haec exordiremur nunc, undique canis aſperſi haec ſcribimus.* Add. publica gratiarum actio ad Phil. Nerium Tomo IIX. Annalium praemiſſa.

hil tamen aliud effecit, quam, ut malam cauſam nullo patrocinio tutam eſſe poſſe, demonſtraret. Quo magis enim bonae literae ex ſqualore et ſitu uindicatae oculos ſuſtulerunt, tanto clarius errorum nouitas et a ueterum Chriſtianorum doctrina diſſenſio patuit, neque ſolum a Caſaubono, Ottio, Montacutio, Baſnagio ac ceteris, (*) qui Baronium ex inſtituto refutarunt, ſed praeterea etiam a Matthia Flacio, (**) Mart. Chemnitio, (***) Nic.

(*) Ceteris) quos ex inſtituto recenſent Sagittarius Introd. in Hiſt. Eccl. Cap. XIV. §. 16. ſqq. Sluterus in Propylaeo Hiſt. Chriſt. Sect. I. §. 18. et Ittigius in praef. Hiſt. Eccl. Seculi I.

(**) Flacio) qui praeter operam ad Centurias Magdeburg. collatam, notiſſimum illum teſtium ueritatis Catalogum collegit, auctius poſtea editum a S. G. G. i. e. Simone Goulartio, Geneuenſi Miniſtro, Lugduni 1597. 2. Vol. in 4. et a Io. Conr. Dieterico Francof. 1671. Apparatum, quem ad haec opera Flacius ex plurimis bibliothecis et monaſteriis magno ſtudio conquiſiuerat, poſt mortem eius a Iulio Principe Brunſuicenſi ab interitu ſeruatum, et partim Helmſtadienſi, partim Guelferbytanae bibliothecae illatum eſſe, teſtatur Cl. Eccardus in Hiſt. Studii Etymol. linguae Germ. Cap. IX. p. 87.

(***) Chemnitio) in Examine Concilii Trid. A. 1577. Francof. 8. ed. nouiſſime a. 1707. ibidem recuſo: cuius ſolius lectione non ita pridem P. Kempius, multis alioquin ſcriptis contra noſtrates editis inter ſuos nobilitatus, ſe ad errores Pontificios eiurandos commotum fuiſſe, publice profeſſus eſt. Leg. Recenſiones Theol. Nouantiquae A. 1707. p. 916.

Hunnio, (*) Io. Gerhardo, (**) Io. VVolfio, (***) Hermanno Empſychouio, (****) Hier. Kromayero, (*****) Gerh. Titio, (******) Io. Iac. Beckio, (*) Balthaſare Bebelio, (**) et inter Reformatos a Dan. Chamierio, (***) Io. Iuello, (****) huiusque continuatore Iac. Vſſerio, (*****) Pet. Moli-

(*) Hunnio) in Apoſtaſia Eccleſiae Romanae, Pelle ouina et aliis huiusmodi ſcriptis.

(**) Gerhardo) in Confeſſione Catholica A. 1634. ſqq. Ienae, 4. et 1679. Francof. ed.

(***) Wolfio) in Memorabilium et reconditarum Lectionum Centuriis XVI. Lauingae 1600. et Francof. 1671. f.

(****) Empſychouio) in Demonſtratione, Lutherum in omnibus articulis in papatu controuerſis idem docuiſſe, quod Apoſtolica Eccleſia et orthodoxi Patres per ſex a Chriſto nato annorum centurias. Gieſſae 1607. 8.

(*****) Kromayero) in Apoſtaſia Eccleſiae Romanae, ſiue ſucceſſiua et clandeſtina errorum in Eccleſiam introductione Lipſiae 1662. et 1682. 4.

(******) Titio) in Summaria Oſtenſione, quod Pontificii dogmata ſua non poſſint unanimi ſcriptorum Eccleſiaſticorum e quinque prioribus ſeculis ſuperſtitum conſenſu probare. Helmſt. 1663. 4.

(*) Beckio) *im Lutherthum vor Luthero* Norimb. 1641. 4.

(**) Bebelio) in Antiquitatibus Eccleſiae Euangelicae. Argent. 1669. et 1679. ed.

(***) Chamierio) in Panſtratia Cathol. Geneuae 1626. et cum Io. Henr. Alſtedii Supplem. 1630. f. ed.

(****) Iuello) in Apologia Eccleſiae Anglice primum ed. Londini 1584. et cum aliis operibus eius Latine uerſa per Guil. Whitakerum Geneuae 1585.

(*****) Vſſerio) Cum Iuellus nonniſi ſex priorum ſeculorum cum doctrina Proteſtantium conſenſionem et a Pontificiorum

Molinaeo, (*) Io. Forbeſio, (**) Io. Dallaeo, (***) Giſb. Voetio, (****) Iacobo Baſnagio, (*****) et plurimis aliis (******) cum luculentiſſima ueritatis

dogmatibus diſſenſum ob oculos poſuiſſet, Vſſerius in *Hiſtorica explicatione quaeſtionis de Chriſtianarum Eccleſiarum ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram usque aetatem continua ſucceſſione et ſtatu*, primum Londini a 1613. 4, deinde Hanouiae 1658. 8. et denuo Londini 1658. et 1687. cum Antiquitatibus Eccl. Britannicae auctius edita, maiori conatu opus hoc inde a Seculo I. usque ad tempora religionis inſtauratae continuare inſtituit, etſi non ultra ſeculum XIII. et annum eius 40. progreſſus. Magis praeterea tyrannidis Papalis ortum et incrementa, quam dogmatum hiſtoriam exponere uoluiſſe uidetur.

(*) Molinaeo) in Nouitate Papiſmi Iac. Dauidi Perronio oppoſita et Germanice per Mart. Stutzingium ed. Veſal. 1632. 4.

(**) Forbeſio) in Inſtructionibus Hiſtorico-Theologicis de doctrina Chriſtiana et uario rerum ſtatu, ortisque erroribus et controuerſiis iam inde a temporibus Apoſtolicis usque ad tempora ſeculi XVII. priora. Amſt. 1645. f.

(***) Dallaeo) lib. de Cultus religioſi obiecto, de Confeſſione auriculari et aliis huiusmodi.

(****) Voetius) Diſſ. de ui ueritatis in ipſo Papatu erumpentis P. II. Diſp. Select. inſerta, p. 726. ſqq.

(*****) Basnage) in Hiſtoria de origine et progreſſu praecipuorum errorum in Eccleſia Romana, reſponſi loco oppoſita Hiſtoriae de Variationibus Eccleſiarum Proteſtantium Iac. Ben. Boſſueti, quae ſubiuncta eſt eius Hiſtoriae de Religione Eccleſiarum Reformatarum Roterod. 1690. 8.

(******) Aliis) Huc inprimis referendi ſunt, qui ex ſingulorum ueteris Eccleſiae doctorum ſcriptis, illorum cum doctrina Euangelica conſenſum ob oculos poſuerunt, ut Hermannus Rathmannus in *Tertulliani* et *Cypriani* Theoſophia Gedani 1620. D. Io. Fr. Mayer in *Io. Chryſoſtomo* Lutherano, or-

aſſertione demonſtrata eſt. Quod ſi, quantum ea res ad animos hominum partim ab erroribus auocandos, partim in ueritatis agnitione confirmandos utilitatis attulerit, ediſſerere inſtituerem, dies me citius, quam argumenti copia deficeret. Sed unicum tamen exemplum inſtar omnium, et prae ceteris commendatione dignum proferre iuuat religioſiſſimi Principis Georgii Anhaltini: qui, cum paulo poſt D. Lutheri a coetu Rom. diſceſſionem ab hoc perpetuam atque per manus traditam Eccleſiae conſuetudinem, ab illo S. literarum auctoritatem urgeri, audiuiſſet, et propterea dubius aliquandiu haeſiſſet, ad utram partem ſe conferret; ipſe

thodoxae ueritatis aduerſus decreta concilii Tridentini aſſertore, Georgii Heidelbergeri Loiolitae Chryſoſtomo Papiſtae oppoſ. Grimmae 1680.4. Ant. Reiſerus, qui poſt ſimiles Io. Pappi labores, A. 1677. Francof. edidit *Auguſtinum* Veritatis Euangelico Catholicae in potioribus fidei controuerſiis teſtem et confeſſorem contra Bellarminum et alios Papaeos: cum quo iungi poteſt El. Veilii *Auguſtinus* Vlmae 1678. ed. D. Georg. Henr. Goezius Diſſ. *Bernhardi* Lutheraniſmum adſtruente in Meletem. Annaeberg. num. XV. ed. Lubecae 1707. D. Io. Georg. Dorſchaeus *in Thoma* Veritatis Euangelicae confeſſore, Argent. 1656. 4. quem a Thoma Leonardo, Prof. Louan. impugnatum defendit Ant. Reiſerus in Vindiciis Euangelico-Thomiſticis, Vlmae 1669. 4. Eodem ſpectant, qui *Ius Canonicum* religioni Euangelicae patrocinari, oſtenderunt, ut poſt Himmelium, Reinhardum, reliquos, D. Io. Chriſtoph. Pfaffius in Dogmatibus Proteſtantium ex Iure Canonico comprobatis Tubingae 1712. et D. Io. Henr. Feuſtkingius Diſp. de Praeſidiis Veritatis Euangel. in Iure Canonico anno 1711. Vitembergae habita.

Digitized by Google

ipſe tandem hiſtoriam Eccl. ſuo ſtudio diligentius reuoluendi conſilium cepit. Per hoc uero ſibi non ſolum omnes ſcrupulos exemptos, ſed et fidem S. literis habitam ita ueterum conſenſu confirmatam fuiſſe, publice teſtatus eſt, (*) ut ſacra per D. Lutherum repurgata ſine omni dubitatione amplecteretur, ab iisque nullis deinceps machinationibus ſe dimouere pateretur. Cum praeterea nihil fere in orbe Chriſtia-

(*) Publice teſtatus eſt) Publica haec optimi Principis Confeſſio Operibus eius p. 545. ſqq. ſub tali titulo inſerta eſt: Breuis et uera narratio, quomodo per DEI gratiam ad notitiam rerum iſtarum omnium, de quibus hactenus tractaui, peruenerim. In ea rationem conſilii ſui, quo ad Euangelicam Eccleſiam ſe contulit, his potisſimum uerbis exponit: *Videbam, multos articulos a ſanctis doctoribus traditos, et a conciliis approbatos per recentes iſtos doctores reſtitui, quos Eccleſiaſtici noſtri pro haereticis damnarent. Intelligebam, argumenta Magiſtrorum noſtrorum, quibus illos impugnarent, prorſus eadem eſſe cum iis, quae ueteres haeretici adhibuiſſent, quaeque a S. Patribus firmiſſime refutata eſſent.* et paulo poſt: *Demonſtrari poſſe, uidebam, inprimis ex Auguſtini ſcriptis contra Pelagianos, in praecipuis articulis, qui nunc controuertuntur, noſtrorum ſententias ab haereticorum aſſeuerationibus non ualde diſſentire, ut in articulo de Iuſtificatione coram DEO, de cauſa noſtrae ſalutis, de lege, de uiribus liberi arbitrii, de humanis meritis, de gratia DEI et remisſione peccatorum, de fide, et ſi qui alii articuli cum his cohaerent, ut taceam interim de abuſibus in uita et moribus, de quibus iudicium fieri poteſt facilius. In his clare animaduertebam, ut dixi, multa, quae D. Auguſtinus contra haereticos illos docuit, nunc per monachos et horum ſectatores damnari, et quidem illa ipſa fundamenta et dicta allegari, quae D. Auguſtinus acerrime refutauit; nec diſſimilia in ceteris articulis reperi.*

Chriſtiano geratur, cuius non exemplum aut imaginem in ueteri hiſtoria Eccl. expreſſam cernere poſſimus, res uero praeteritae optima ſint rerum gerendarum documenta, multum ſane refert ſimilium conſiliorum exitus et fortunam intueri, et inde ſumere, quod tibi ex uſu ſit, quod caueas, aut quod ſequaris. Recte iudicat eruditisſimus Verulamius (*) neque Auguſtini, neque Ambroſii opera ad prudentiam epiſcopi uel Theologi tantum facere poſſe, quantum ſi H. E. diligenter inſpiciatur et euoluatur: cum caſum recipiat et temeritati exponatur, quod memoria rerum non fulcitur. Taceo alia commoda, quae ex antiqua potiſſimum hiſtoria ad S. Codicis explicationem, uindicationem et confirmationem redundant. Habet enim magnam non modo delectationem, ſed et ad perſuadendam ueritatem uim, ſi antiquiſſimarum rerum ſacris literis proditarum, quas Graeci alioquin ad tempora fabuloſa et obſcura referunt, in aliarum quoque gentium ſcriptis ueſtigia quaedam deprehendamus. Cumque praeterea huiusmodi monumenta a multis peruerſo animo legi, et ad labefactandam potius, quam confirmandam ſacrae hiſtoriae fidem trahi ſoleant, intereſt omnino, illis paulo diligentius conſideratis, hanc in tuto collocare. Qua ipſa ratione inductos fuiſſe, arbitror, eruditisſimos quos-

(*) Verulaminus de dignit. et augment. ſcient. L. III. c. 4.

quosque ueteris Eccleſiae doctores, ut uetuſtos hiſtoriae Chaldaicae, Phoenicíae et Aegyptiacae ſcriptores non modo tam diligenter euoluerent, ſed et ab iis tradita cum diuinis monumentis compararent, ac ſuis quaeque temporibus iuſto ordine diſtribuere ſtuderent: Et horum diligentiae potiſſimum acceptum referimus cum notitiam tum fragmenta, quae de Beroſi, (*) Sanchoniathonis, (**) Mane-

(*) Beroſi) Hunc τὴν χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξαι, teſtatur Tatianus, et quae de bello Iudaeis a Nabuchodonoſore illato in hiſtoria ſacra legimus, eius teſtimonio confirmat in Orat. contra Graecos prope fin. Prouocat ad eundem Clem. Alexandrinus Strom. L. I. et Tertullianus Apol. c. XIX. Fragmentum eius a Ioſepho ſeruatum Ioſ. Scaliger operi ſuo de Emendatione Temporum ſubjecit et annotationibus expoſuit.

(**) Sanchoniathonis) Huius Phoenicia per Philonem Byblium Graece uerſa origines Phoenicias et Aegyptiacas expoſuiſſe, oſtendunt, quae ex iis proferuntur ab Euſebio L. I. c. 16. et L. X. Praepar. Euang. et a Theodorito L. II. de cur. Graec. affect. Equidem non ignoro, haec omnia Io. Henr. Vrſino, lib. de Zoroaſtre, Henrico Dodwello Diſſ. de Sanchoniathone, et Antonio uan Dale Diſſ. de eodem argumento commentationi ſuper Ariſteam annexa, pro ſpuriis et Philonis fraude ſuppoſitis reputari. Sed argumenta illorum, quae a ſolo fere aliorum ſilentio petuntur, tanti non ſunt, ut tuto in iis acquieſcamus. Monuit nonnihil contra ea Io. Clericus Bibl. Sel. Tom. IX. p. 140. ſq. et plura forſan moneri poſſent, niſi a praeſenti inſtituto id alienum uideretur.

(***) Manethonis) Vt Beroſus Chaldaicas et Sanchoniathon Phoenicias potiſſimum antiquitates deſcripſit: ita Mane-

thonis, (***) Eratoſthenis, (*) Alexandri Polyhiſtoris (**) aliorumque libris alioquin deperditis ad aetatem noſtram peruenerunt: in quibus ordinandis et cum ſacrorum annalium auctoritate conciliandis poſt Ioſ. Scaligerum (***) uterque Voſſius, Iac.

thos Aegyptiacas literis mandauit, teſte Euſebio L. I. Praep. Euang. quarum fragmenta quaedam poſt Iulium Africanum in Chronica ſua transtulit Euſebius, ex iſto repetiit Georgius Syncellus, et I. Scaliger cum in Notis ad Euſeb. tum in Canon. Iſagog. L. II. c. 2. et L. III. c. 2. illuſtrauit.

(*) Eratosthenis) Quomodo hic tempora deſcripſerit, praeter Euſebium et Syncellum oſtendit Clemens Alexandr. Strom. L. I. Conf. Voſſius de Hiſt. Gr. L. I. c. 17. et Marsham Can. Chron. Προπαρασκ. §. 3.

(**) Alexandri Polyh.) Eius fragmenta extant apud Euſebium Praep. Euang. L. IX. c. 4. quibus praeter ceteros Chronologiam ſuam reſtitutam ſuperſtruit Pezronius Antiquit. Temp. Reſt. c. V, VII.

(***) Scaliger) Hic inprimis illas ueterum ſcriptorum reliquias, uelut tabulas ex naufragio collectas, notisque ſuis illuſtratas ad explanandam et recte ordinandam hiſtoriam ſacram adhibuit: de quibus in egregii operis de Emendatione temporum apendice f. IX. pronunciare non dubitat, *ſine illis nullam certam epocham temporis in ſacra Chronologia apprehendi poſſe.* Pertinet huc inprimis eius Theſaurus temporum, quo integrum Euſebii Chronicon ex Georgio Syncello, Cedreno, et Chronico Alex. cum Hieronymi uerſione collatis reſtituit, et cum Latinis Proſperi Aquitani Victoris Tunnunenſis, Ioannis Biclarienſis, Idacii Lemicenſis, Marcellini et aliorum Chronicis coniunctim edidit. Ceterum an centones illi Graeci pro ueris Chronici Euſebiani reliquiis agnoſcendi ſint, multi iam pridem dubitarunt, imo id prorſus negat, et hoc nomine peracerbe in Scaligerum inuehitur

Iac. Cappellus, Io. Marſhamus Ed. Stillingfletus, Paulus Pezronius, Iacobus Perizonius, plurimique alii ingenii ſui uires, diuerſo licet conſilio et ſucceſſu, experti ſunt. (*)

F 2 Quod

Matth. Raderus praef. ad Chron. Alex. a ſe editum. Leg. Mart. Hanckius de Scriptor. Byzant. P. I. c. I. n. 196. Schelſtratenus Antiquit. Illuſtr. Diſſert. praeuiae c. 2. Steph. le Moyne Prol. ad Varia Sacra * 32.

(*) Diuerſo conſilio) Maximam in fragmentis hiſce difficultatem affert nimia illa, et non modo diluuii tempora, ſed et ipſum huius uniuerſi initium in S. literis oſtenſum longe anteuertens antiquitas, quam Beroſus Chaldaeis, Manethos Aegyptiis, alii aliis adſcribunt. Huius igitur expediendae rationem diuerſi diuerſam inierunt. Alii annos non ſolares, ſed lunares computatos fuiſſe, putant, idque autoritate Plinii et Varronis, quorum ille Hiſt. Nat. Lib. VII. c. 18. hic apud Lactantium L. II. c. 12. Aegyptios lunae ſenio annum determinaſſe, confirmat. Placet hic dynaſtias Aegyptiacas cum Chronologia ſacra conciliandi modus Iac. Cappello in Hiſt. Sacra et Exot. ad A. M. 3282. et Stillingfleto in Originibus Sacris L. I. c. 5. Aliis dynaſtiae collaterales, quae ſcilicet eodem tempore diuerſis locis fuerunt, pro ſucceſſiuis arreptae uidentur, ut Gerh. Io. Voſſio de Orig. et Progr. Idol. L. I. c. 28. Alii origines Aegyptiacas, quales ex Manethone Africanus et Euſebius, ex Euſebio Syncellus, aliique, et ex his tandem Scaliger prodiderunt, cum Petauio Doctr. Temp. L. X. c. 17. prorſus ut fabuloſas reiiciunt, et aliam iis rerum extra DEI coetum geſtarum chronologiam ex Herodoto potiſſimum collectam ſubſtituunt, ut Conringius in Aduerſar. Chronol. c. XVII. Alii per reges in deorum numerum ab Aegyptiis relatos ſolem lunam ac ſidera, per dynaſtias certas iſtorum periodos intelligunt, atque adeo rebus in terra geſtis motus coeleſtes, et Chronologiae hiſtoricae Aſtronomicam ſubſtituunt, ut Marshamus in Can. Chron. Proparaſc. p. 9. Con-

Quod ſi a Theologia ad iurisprudentiam, optimam illam ſalutis publicae conſeruatricem, progrediamur, miſera profecto eius facies extitit, cum tota fere ineptis Gloſſatorum quorundam, hominum omni antiquitatis notitia deſtitutorum commentatiunculis contineretur. Quid enim ſolidi in legum Romanarum interpretatione expectari poterat ab iis, qui rationem, mores et inſtituta illius reipublicae, cui illae quondam latae ſunt, ignorabant,

tra alii ipſis ſacris annalibus uim inferunt, aut ſaltem ampliores annorum numeros in LXX uirali uerſione occurrentes minoribus Codicis Hebraei praeferunt, et hos a Iudaeis neſcio quibus, corruptos eſſe, contendunt: quam ſententiam poſt Iſ. Voſſium acriter defendunt Pezronius in Antiquitate Temporum reſtituta et defenſa, Harduinus in Chronologia V. Teſt. ad uulgarem uerſionem exacta et nummis illuſtrata, Tourneminus in Diſſert. de Epocha Seſoſtris, et libello de Chronologia Patriarcharum, et omnes fere recentiores ſcriptores Gallici. Sed ut poſtremus ille, quem dixi in Ephemeridibus Treuoltienſibus A. 1704. p. 85. et Harduinus ab Alphonſo des Vignoles in Epiſtola Vindiciis ueterum ſcriptorum Maturini Vez. de la Croſe ſubiuncta confutatus eſt: ita Marshami, Conringii, Cappelli, Pezronii et aliorum hypotheſes Iac. Perizonius in Originum Aegyptiacarum inueſtigatione examinauit, et poſtquam, ex tam diſcrepantibus Aegyptiorum, Chaldaeorum et Graecorum traditionibus nihil certi ante Pſammetichum Pharaonis Nechonis patrem hauriri poſſe, in iisque inter ſe conciliandis omnem operam fruſtra ſumi, demonſtrauit, ipſe cap. XIII. ſqq. noua methodo non ex annorum numeris, quos ubique uitioſe ſcriptos eſſe, putat, ſed ex ſynchroniſmis hiſtoricis antiquiorem chronologiam inſtaurare conatus eſt.

bant, et eadem de cauſa ne uerborum quidem ſignificationes ſatis aſſequebantur. Quare tum demum ex ſitu et ſqualore caput extulit, et cum communi rerumpublicarum utilitate pulchrius enitere coepit, cum Budaei, Alciati, Cuiacii, Duareni, Hotomanni, Balduini ueteris hiſtoriae cognitionem et elegantiorum literarum ornamenta ad eam excolendam attuliſſent. Interea quantacunque fuerint horum uirorum in iurisprudentiam merita, tamen omnia, quae ex hiſtoriae et antiquitatis fonte ad illam ornandam redundare poterant commoda nequaquam ita exhauſerunt, ut non multa aliorum induſtriae reliqua fecerint. Imo, ſi uerum fateri uelimus, ſaepe illi uerborum potiorem, quam rerum rationem habuerunt, et ſplendida utilibus praeferendo magis argute ueterum populorum inſtituta expoſuerunt, quam hodierni imperii Romani rationibus conſuluerunt. Reprehenditur Gloſſator Speculi Saxonici, quod leges Germanorum proprias, uera illarum intentione neglecta, ex iure Iuſtinianeo explicarit, aeque abſurde, ac ſi quis iura principum Euangelicorum circa ſacra ex conſtitutionibus Turcicis de officio ac poteſtate ſummi Pontificis Muhamedani exponere conaretur. Abſit, ut eruditiſſimos uiros eodem loco numeroue habeamus: ſed annon tamen poſt laudatos illorum labores multa adhuc ad iuris praeſertim publici Germanorum explana-

tionem neceſſaria merito deſiderata fuerint, iudicent ii, qui hanc poteſtatem ſuo iure ſibi uindicare poſſunt. Ego hoc ſaltem tuto affirmare poſſe uideor, cum longe diuerſa ſit ueterum ciuitatum ſiue Graecarum ſiue Romanarum ab hodiernis regnis imperiisque ratio, cum utraque diuerſis moribus inſtitutisque utantur, non ſemper haec ex illis recte diiudicari: (*) ac ſigillatim quidem ea, quae ad Imperii Romano-Germanici naturam et inſtituta, ad controuerſias regum et principum, ad ſingulorum ordinum iura ac priuilegia pertinent, collatis licet omnibus

(*) Quam perperam faciant, qui hodiernas controuerſias iuris publici ex ueterum Romanorum legibus diiudicant, iam a Limnaeo I. P. Lib. I. c. 3. et Boeclero Notit. Imp. L. I. c. 4. notatum eſt. Neque male auctor der Donawerthiſchen Information P. I. p. 12. affirmat, *daß ipſa reipl. Germanicae forma nicht aus den Lateiniſchen rechten, oder Bartolo und Baldo, ſondern vielmehr aus des Reichs löblichen herkommen, und daher rührenden alten Verfaſſungen zunehmen.* Et fallor, an ex ſimili confuſione et intempeſtiuo antiquitatis ſtudio ortae ſunt pleraeque de forma Imperii Romano Germanici controuerſiae, inprimisque probroſa illa Pufendorfii opinio, ſub nomine Seuerini de Monzambano propoſita, qua Imperio Germanico neſcio quam irregularem et monſtroſam formam tribuit: perinde ac ſi deſcriptiones Ariſtotelicae ad ciuitatum Graecarum uel regni Perſici ſtatum, qualis illo tempore fuit, accommodatae tantam normae uim obtinerent, ut, ſi quae reſpublica illis non ſatis reſpondeat, ea monſtri loco habenda ſit. Vide ſis hiſtoriam illius diſputationis cum recenſione ſcriptorum in utramque partem apud Kulpiſium in Comment. ad Monzamb. p. 14. et 192, ſqq.

mnibus iuris Iuſtinianaei praeſidiis, ne intelligi quidem poſſe, niſi Imperii illius primordia, propagatio et conuerſiones ex hiſtoria Germanica accurate cognita fuerint et perſpecta. In quo unum Lehmanni Chronicon omnibus Gloſſatorum commentationibus facile praetulerim : qui inter primos ſupra uulgi conſuetudinem elaborauit, et aliorum quoque induſtriam ad hoc ſtudiorum genus diligentius excolendum commouit. Nam poſt eum Hermannus Conringius, Io. Henricus Boeclerus, Ericus Mauritius, Ioannes Limnaeus, Ioannes Schilterus, Io. Georgius Kulpiſius, et noſtra aetate Io. Phil. Dattus, Io. Nic. Hertius, Henricus Cocceius et alii, quid hiſtoria Germanica ad firmanda et conſtituenda iuris publici fundamenta praeſidii afferat, non ſine communi orbis eruditi approbatione, oſtenderunt. (*) Quantopere uero iſtud non

(*) Priusquam Arumaeus Ius publicum in diſtinctae artis formam redegit, id totum fere hiſtoricis monumentis continebatur. Etſi uero hiſtoriae pariter ac notitiae Imperii Germanici a iure publico diſcrimen praeter ceteros Io. Andr. Boſius Introduct. in Notitiam generalem rerumpubl. cap. 3. luculenter ob oculos poſuit : illam tamen inter praecipua huius adiumenta et praeſidia referendam eſſe, nemo negauerit. Et quo quisque in illa uerſatior, eo ad hoc recte intelligendum et explicandum aptior eſt. Quo nomine prae ceteris Iuris publici ſyſtematibus commendari meretur Cocceii Prudentia Iuris publici, ubi ea inprimis, quae ad ditionum et prouinciarum Germanicarum hiſtoriam pertinent, diligentius, quam pro uulgi conſue-

non modo ad nominis imperiique Germanici decus, ſed ſaepe etiam ad ſalutem et ſecuritatem publicam pertineat, multis exemplis demonſtrari poſſet: ex quibus uel unicum breuitatis ſtudio commemorabo. Cum ſuperiori ſeculo tota fere Germania fatalis illius belli tricennalis incendio arderet, non minus Lindauienſium libertati periculum a monachorum Lindauienſium fraude, quam aliis ciuitatibus a ferro et igni impendere uidebatur. Proferebant enim illi diploma Ludouici Pii, quo iam pridem coenobio ſuo uniuerſam ditionem Lindauienſem ſubiectam et contributam fuiſſe, aſſerebant, atque adeo res ſuas, iniuſte ſcilicet per aliquot ſecula ſubtractas, aliorum exemplo repetebant. Quid facerent Lindauienſes? Num praeſcriptionem obtenderent? Atqui hanc monachi in bonis Eccleaſticis locum habere, aut contra ſcriptas Imperatoris Auguſti literas ualere, negabant. Aut doli mali poſtularent aduerſarios? At nemo huius eos ſat efficaciter conuincere poterat. Scilicet nullum aliud expediendae difficultatis remedium ſupererat, niſi
in

tudine, excuſit: quanquam, ut nihil omnibus numeris perfectum eſt, ita hic quoque uiri docti reperiſſe ſibi uiſi ſunt, quod emendari aut deſiderari poſſit. Praeter hunc et alios, quos nominaui, et quorum ſcripta ſatis nota ſunt, legi etiam meretur Vlr. Huberi ſpecimen iurisprudentiae hiſtoricae, Inſtitutionibus Hiſtoriae ciuilis annexum, ubi, quam amicas ius et hiſtoria operas ſibi mutuo nauent, ex inſtituto oſtendit.

Digitized by Google

in accuratiori hiſtoriae antiquitatis Germanicae notitia. Ex hac enim primo Dan. Heiderus, deinde multo luculentius Conringius, cuius ſingularis de hoc diplomate liber extat, id ſub initium Sec. XIII uel finem XIImi confictum et ſuppoſitum fuiſſe, iis indiciis demonſtrauit, ut nullus inpoſterum fucus ad impoſturam oblinendam ſufficeret, iniqua uero monachorum poſtulatio omnium ludibriis exponeretur. Quod ſi non tot alii praeclariſſimi uiri, nominatim Chifletii, Barlaei, Ionſtoni cum ſalutaris artis ſcientia hiſtoricae eruditionis laudem coniunxiſſent, uel ſolus ille, quem dixi, Conringius Medicus, quam deceant illum ordinem haec ſtudia, comprobaret. Neque ſane deeſſent argumenta, quibus nobiliſſimam medendi diſciplinam non minus hiſtoria naturali, quam iurisprudentiam ciuili, aut Theologiam Eccleſiaſtica carere poſſe, demonſtrarem. Nam ut illa potiſſimum experientia, non unius uel alterius hominis, ſed multorum ſeculorum nititur, atque ex diligenti uariorum caſuum euentorumque conſignatione primum nata et longius deinde progreſſa eſt: ita huiusmodi obſeruationibus in literas relatis hodienum alitur, augetur ac ſuſtentatur. Sed ne falcem in alienam meſſem immittere, aut ea, quae a ſtudiis meis alieniora ſunt, audacius quam prudentius attingere uidear, totam hanc partem aliis copioſius explicandam re-

linquo: cum praeſertim iam diu philoſophia orationem meam ad ſe uocet, quae quicquid praeclarum et laudabile, quicquid ad uitae humanae commoda amplificanda, uel incommoda lenienda aptum et accommodatum complectitur, id totum hiſtoriae acceptum refert. Nam quae maiores diuturno rerum uſu cognita literarum monumentis commendarunt, ea poſterior aetas nouis ſubinde acceſſionibus aucta, et cum ſuorum temporum euentis comparata in certum ordinem redegit, atque adeo ad communia quaedam dogmata, quibus tota philoſophia continetur, reuocauit. Si quae uero philoſophorum placita tali fundamento deſtituantur, ea in inanium ſpeculationum fumos abeunt, et ampliſſimum philoſophiae nomen ac decus minime tuentur. Vnde non ſine cauſa laudatiſſimus Franciſcus Baconus Verulamius (*) hiſtoriam naturalem, quam uocat, inductiuam deſiderat, quae non modo externas lapidum, plantarum et animalium imagines, uel operationes deſcribat, ſed ſolidis ac rarioribus obſeruationibus eorum naturam declarantibus ditata ſit, neque ſolum ordinarias naturae uires, ſed ea etiam, in quibus illa uel per ſe interdum a conſuetudine ſua diſceſſit, uel per artes hominum aliquando detruſa eſt, ob oculos ponat, atque adeo plena rerum euentorumque

(*) Verulamius) Lib. III. de Augmentis ſcient. cap. 3. p. 48. Opp.

que naturalium inductione primam, ut loquitur, philoſophiae mammam praebeat, et multa partim emendandi, partim diligentius exquirendi materiam ſubminiſtret. Neque uero haec tantum de ſpeculatiua philoſophia accipienda ſunt, ſed multo magis etiam ad morum doctrinam et uitam bene beateque inſtituendam ualent. Cum enim eadem ſaepe fabula mutatis tantum perſonis inter homines agatur, et ſimilia incepta ſimiles exitus plerumque nanciſcantur, nulla tutior utiliorue noſtras uel aliorum actiones moderandi ratio iniri poteſt, quam ſi in multorum ſeculorum exempla, uelut in ſpeculum intueamur, et inde, quid nobis, quid aliis, quid reipubl. expediat, deſumamus. Iam olim praeclare id intellexit Romanae hiſtoriae princeps T. Liuius, qui hunc praecipue finem operis ſui immortalitate digniſſimi ſibi propoſuit: „ ut lectores omnis exempli documenta in illuſtri„ poſita monumento intueantur, inde ſibi ſuaeque„ reipublicae, quod imitentur, capiant, inde foe-„ dum inceptu, infelix exitu, quod uitent. Quid? „ ipſa ſcriptura ſacra, optima et perfectiſſima bene beateque uiuendi magiſtra, nonne cum uitae praeceptis hiſtoriam coniungit? Habet uidelicet hic quoque locum, quod de inſtituendi ratione dici ſolet: longum et difficile iter eſt per praecepta, breue et efficax per exempla. Quae qui negligunt,

et prudentiae ſuae nullis rerum documentis ſuffultae praeſidunt, incertis caſibus ac temeritatis periculo ſe committunt, multaque felicitatis humanae praeſidia aut nunquam, aut ſero, et ſuo potius, quam alieno diſpendio addiſcunt, eorum fere ſimiles, qui ſine praemonſtratore per loca inuia, multisque difficultatibus impedita, quam illius indicio per uiam regiam, et aliorum ueſtigiis tritam incedere malunt.

Faceſſant igitur obtrectatorum et male de hiſtoria ſentientium uoculae, qui ſummam eius utilitatem aut propter ignorantiam non intelligunt, aut propter animi peruerſitatem agnoſcere nolunt. Maneat philoſophiae morali, maneat uitam et rempublicam bene gerendi prudentiae ſua dignitas, dummodo illam ex hiſtoria praecipua ſubſidia mutuari, et ſine ea frigere, ac uelut ſucco neruisque deſtitutam humi repere, fateamur. Neque uero malorum aut triſtium commemoratio, quod unum ſupra Maximum Tyrium obiicientem audiuimus, labem hiſtoriae aſpergit: niſi forte etiam doctrinae moralis tractatio propterea diſſuadenda uidetur, quod de uitiis aeque ac de uirtutibus loquatur. Sed quemadmodum haec tali bonorum malorumque comparatione uirtutis ſplendorem illuſtrat potius, quam obſcurat; ita etiam exempla malorum literis prodita, turpitudine ſua et infelici exitu,

quo

quo plerumque concluduntur, lectorem a peccando deterrent, et alienis damnis propoſitis cautiorem reddunt: tantum abeſt, ut ad ſimilia uitia inſtigent. Non plus roboris aut firmamenti iis ineſt, quae H. C. Agrippa nobis opponit. Cum enim propter ſcriptorum nonnullorum diſſenſiones, aut relationes ex incerto rumore hauſtas, uniuerſam hiſtoriam condemnat, quid aliud agit, quam ut toties nauſeatum atque exploſum commune illud ſcepticorum ſophiſma nobis obganniat, quo a dubia unius uel alterius rei fide, omnium falſitatem perperam concludunt. Pone uero, dari relationes quasdam incertas et inter ſe diſcrepantes, quas hiſtoriae nomen ac dignitàtem non ſuſtinere, facile concedimus: extant tamen et multa certioris fidei et apud omnes aequos prudentesque rerum aeſtimatores extra fraudis ſuſpicionem poſita, quae cum aliis quibuscunque ſimili fundamento nixis amice conſpirant.

Quaenam uero illa ſint, aut quomodo ab incertis et ſpuriis diſcerni debeant, non tam hoc tempore fuſius exponere, quam inpoſterum ipſo uſu experiri ac docere mihi conſtitutum eſt. DEO enim immortali, ſummo rerum humanarum arbitro, conſilia ita moderante, Potentiſſimo Polon. Regi et Principi Electori Saxoniae, Domino ac Nutritori noſtro clementisſimo, uiſum eſt, in illuſtri hac Acade-

mia munus docendae hiſtoriae publicum et ordinarium ad me deferre. A quo quidem ſuſcipiendo poterat me non tantum grauitas et amplitudo eius deterrere, ſed et florentisſimae ciuitatis celebritas, in qua, per DEI benignitatem, nihil ad uitam commode agendam deſideraui, reuocare. Sed quoniam non nobis ſolis nati ſumus, et optimo cuique hic potisſimum uitae omniumque actionum finis propoſitus eſſe debet, ut, quantum ingenio conniti, quantum labore ac induſtria contendere poteſt, patriae et communi utilitati inſeruiat: ego quoque ampliorem id pro modulo uirium praeſtandi occaſionem diuinitus oſtenſam, aut propter inertiam et laboris fugam deprecari, aut maioris forſan comoditatis ſtudio ſubterfugere, et nutui, quem in toto hoc negotio deprehendi, diuino non obtemperare, religioni omnino duxi. Cum igitur hac una ſpe et cogitatione permotus, nulla ſane utilitatis uel commodorum ratione habita, huc acceſſerim, quid magis optem, quid ardentioribus precibus a DEO immortali expetam, quam ut labores in poſterum ſubeundos, quibus cum optima aetatis parte, omnes conatus, omnes animi corporisque uires, omnes denique facultates libentisſime deuouebo, ſperato fine et fructu, in quo omnia mihi poſita eſſe, decreui, non excidere patiatur?

Tu

Tu ergo benigniſſime pater, omnium, quae bona nobis contingunt, auctor datorque, uota haec cum gloriae tuae amplificandae ſtudio coniuncta exaudi atque confirma. Tu me multis inde a prima aetate beneficiis affectum nunc tandem in dulciſſimae matris et ſtudiorum meorum quondam formatricis complexum, in quo, pro uoluntate tua, uiuere et emori paratus ſum, nihil tale ſperantem reduxiſti. His beneficiis tuis porro etiam faueas, et ſemel huc reuocatum non prorſus indignum tali matre filium eſſe ſinas! Tuo ſolius auxilio fretus, partes mihi demandatas ſubire, et tam arduum onus maiori, quam in uiribus meis poni poterat, fiducia ſuſcipere non dubitaui. Tu ergo ipſe imbecillitati ſuccurre, nutantemque ſuſtenta, et quae ipſe conatibus meis promittere non poſſum incrementa, tuo fauore praeſidioque largire. Cumque haec omnia euenire nobis non poſſint, niſi patria noſtra ſalua ſit, hanc quoque Numine tuo defenſam, ex omni temporum difficultate ereptam, et iminentium malorum metu liberatam tuere, inprimis uero Potent. regem FR. AVGVSTVM, Dominum noſtrum clementiſſimum, una cum Principe Iuuentutis, Rectore noſtro Magnificentiſſimo, reſpice, et omnia conſilia ita moderare, ut illis ſaluis atque florentibus etiam reſpublica floreat, tum et Muſae noſtrae tanto

auſpi-

Digitized by Google

auſpicio tutae optata quiete, libertate et ſecuritate perfruantur.

Poſt eam uero, quam DEO, potentiſſimo regi, et ſummis, qui pro rege curant, adminiſtris debeo, grati animi religionem ac pietatatem, ampliſſimo Senatui Academico, et ſpeciatim excellentiſſimo philoſophorum ordini me obſtrictum profiteor, quod benigna commendatione ſua prima commutatae fortunae meae fundamenta iecerint. Haec enim una illuſtres aulae regiae proceres, literarum non minus ac ſalutis publicae curam cum immortali ſua gloria ſuſtinentes, qui alias nunquam fortaſſe de me huc reuocando cogitaſſent, induxit, ut, poſt denuo requiſitam demiſſiſſimi obſequii teſtificationem, munus in hac Academia uacuum ad me deferendum cenſerent. Vobis igitur, Pro-Rector Magnifice et Patres Acad. Conſcripti, gratias quantas poſſum, maximas pro iſta in me uoluntate perſoluo, et quemadmodum uel hinc optatum futurae etiam beneuolentiae indicium capio: ita illam omnibus, quae ab homine deditiſſimo proficiſci poſſunt, officiis complectar, et, cum aliis dignitate et meritis me inferiorem eſſe, ipſe libenter agnoſcam: nemini tamen unquam debita uobis obſeruantia, et omnibus pro facultate inſeruiendi promtitudine concedam.

Errata potiora. p. 4. l. 19. Parrhaſ. add. *T. I.* p. 6. l. 7. leg. *Tom. X.* l. 8. *1710.* p. 7. l. 20. leg. *1612.* p. 12. l. 26. leg. *Coſſoni.*